
















XXX
OSTERM

7

PALLADIVM
EXVLANTIS VBIQVE
PACIS VNIVERSALIS,



ARS IMPERANDI, ET PARENDI,

Seu,

PROLVDIVM

RESTABILIENDI, ET

CONSERVANDI, IMPERII ROMANO-GERMANICI, ET PALLADIUM

Exulantis vbique

PACIS VNIVERSALIS.

LIBRIS QVINQVE ADORNATVM, ET

præterito Mercatu Francofurtano,

Sacratiſsimo & Auguſtiſsimo Imperatori Noſtro,

FERDINANDO TERTIO, &c.

Nec non,

SACRI ROMANI IMPERII FVNDAMENTALIBVS Columnis, Heptarchis, DD. Electoribus, reliquiſque

Eiuſdem Primipilis,

Archi-& Ducibus, Principibus, quà Eccleſiaſticis, ac Secularibus, Proceribus, Statibus, & Ordinibus,

Demiſiſſimè promiſſum, nunc eiſdem, eâdem, quâ par eſt, ſubmiſiſſimâ obſeruantiâ exhibitum.

Authore

PETRO OSTERMANNO JCto GERMANO,

S. Cæſareæ Majeſtatis, Imperiali Aulico, ac Eminentiſſimi Archiepiſcopi & Electoris Moguntini Secretiore Conſiliario.

MOGVNTIÆ,

Ex Typographeio NICOLAI HEYLL,

Sumptibus Authoris.

ANNO M. DC. XLIII.



ADMONITIO, ad BENEVOLVM Lectorem, emptorem.

CVM ſecundæ cogitationes ſint ſapientiores prioribus, proinde ego, temporis anguſtia, cxcluſus, & negotiorum mole obrutus, intendam propediem, Deo dante, hunc vrſinum partum lambendo effigurare, cum Gratia, & ſpeciali Priuilegio S. Cæſareæ Majeſtatis, Ideò Te, moneo, vt ab alia, quàm hâc Moguntinâ editione abſtineas, niſi pecuniam perdere malis.

PETRVS OSTERMANNVS D.



AD DIVVM FERDINANDVM III. AVSTRIACVM, IMPERATOREM ROMANUM SEMPER AUGUSTUM, BELLI, ET PACIPOTENTEM.

PERQVAM HVMILLIMA DEDICATORIA.

SACRATISSIME CÆSAR, VNIVERSI ORBIS ARBITER VNICE, DOMINE PRÆ-CLEMENTISSIME.



Agister omnium Deus, in præmium benè meritorum, vt ignari veritatis instruantur, sicut in primo suo Aduentu, Optimum illum, & Pacificum Octauianum AVGVSTVM: Ità nunc in fine Mundi, eo meliorem inter Mortales, videlicet, Te, FERDINANDVM III. AVSTRIACVM, inueniens virum, alterum Dauidem, secundum Cor suum, mirificando omnes voluntates Tuas, vt facias omnes voluntates suas, mirabiliter per vniformem Electionem eorum, qui vices omnium gerunt Actor. 13. cap. v. 22.

runt, vniuersi Orbis Regem Regum, Principem Principum, vicarium suum immediatum, vt humanis præsideas, constituit. Inuenit, dico, tanquam si sollicitè quæsiisset, & diu, dum inueniret, expectasset: Et gloriam, & Fortitudinem dedit Tibi, & omnia, in quibus habitant Filij hominum, in manu Tua, & sub Ditione Tua collocauit, Cuius Regnum stabit, quamdiu seculum, nec alteri Populo tradetur, vt iniustum hoc seculum, decurso temporum spacio terminum sumat, extinctaque protinus omni malitia, & piorum animis ad beatam vitam reuocatis, quietum, tranquillum, Pacificum, Aureum denique, vt Poëtæ vocant, Seculum, Te Imperante reflorescat, & Tui terreni fauore Imperii, Diuini iura respirent.

Tertullian. in Apologetico.

Ergo, Fac, Per Te Redeant Saturnia Regna!

Bellum, vti indicere, ita quoque idem finire, quod fit PACE, *Tuũ, quia solius supremi Principis est: Eo enim fine suscipitur, vt Pacẽ habeat Voluntas, Bellum, Necessitas. Staterã vtriusque hic perquam humillimè offero, & adfero, T. Maiestas fungatur vice Antestati, & Libripendis, quæ, ex* VTROQVE *Cæsar est.* PHILIPPVS III. *Hispaniarum Rex,* AVGVSTÆ *Tuæ Parens gloriosissimæ recordationis, hoc sibi familiare habuit symbolum.* AD VTRVMQVE, *quod Leo expresserat, qui dextero pede* CRVCEM, & OLEAM, *altero Equestrem hastam præferebat. Est quidem,*

Georgius Castriotus, aliàs Scanderbegus, ad suos milites.

Nulla salus Bello, Pacem, Te, poscimus omnes,

Tunc

Tunc enim.

Sylua viret, desæuit aper, curuatur arator,
Rudit asellus, Auis cantat, & hinnit Equus.

Verum PAX RAPAX *tutò nunquã poteſt ici, cui à Deo ſentiamus maledici, eſt ea præter cœli mentem, vltrà Pietatem, contrà Chriſtianitatem, ſuprà æquitatem, citra tranquillitatem, extrà ſecuritatem, intrà* τὴν Ἀορασίαν, *in Patria flagellum, ad excidium commune, eſt duntaxat ingenioſa* PERICVLI VERSVRA: *In tot malorum Pactionem, tanquam in hydram Lernæam, eorumque Authores, homines Politicos (Si tamen homines, qui Deum Principibus reddunt ſuſpectũ) Pſaltes inuehit, dũ eos vocat,* CONCILIVM MALIGNANTIVM, *qui poſtpoſita vera & ſaluifica fide, Imperii Romani ſalute,* STATVS IDOLVM *adorant, mendacium ponunt ſpem ſuam, quo armati, peridonea ſunt euertendorum Regnorum arma, quippe qui Pacem & Bellum, Patriæ ſedem, & Exilij fugam, nullo cenſent, niſi pretio vitæ præſentis: credere Deo non ſolent: futuro non audent: ſolus, dicunt, ruſticus in annum ſequentem diues eſt, nos hornam metimus meſſem: ita impendio vitæ, vitam inſtruunt, æternæ incertam, vt eorum nemo ſe vendicet ſibi (quiſque alterius eſt, alius auri, alius cauri) nemo ei, cui mancipatus Deo, eſt, nemo, ei, cui parandus eſt, cœlo; Omnes ſolo, ſalo, dolo. Proh cœlum! Hi cum publicum bonum ſibi, pro optimè ſentiendi ſcopo, præſtituerunt, Religionem contrà, Pietatem*

Pſalm. 21. v. 17.

tem atque Deum (bona his cæli exheredibus secundaria) in alterum à primo rejiciunt gradum, IDEAM STATVS *intrà Scopum seiungunt, Machiuelli ingenio, (aij Iulij ambitu, Achitophelis ritu, hominis omnium horarum affectu, vertumni sui iussu. Nam Ægyptij sunt, quorum nemo pro pluuia respectat cælum, omnes* NILVM, *& nihilum; Aluum, & Alueum curant, fontem ignorant, nemò eorum sacrarium ante, quàm Ærarium adorat: Lapidem ex sepulchro venerantur pro Deo, quæ impietas, tunc esse pietatis potuit, cum credere libebat, immensam cæli fabricam humeris vnius fulciri Atlantis: Atqui nunc reuera, aut locum, aut nomen, inter veros Christianos reperire non potest, sperare non debet, sed profligatur necesse est: Ita multis, & Dei imperiis, & atrocibus minis, & in contrarium pœnis, huc impellimur, ac percellimur, vt nisi penitus dehiscens nos terra abligurierit, vereri habeamus, ne, si hoc fœdus feriamus, fulmine diuinitus feriamur, à sancto sanctorum in Sion,* qui offensior aufert Spiritum Princi-
Psalmo 73. pum, terribilis apud Reges terræ, *plectit Dionysium, Corinthi, Pompeium, manu Achillæ, Neronem, propria, Cosroem, filij, Ptolomæi, filium. Igitur perire Princeps voluit, qui à tali Politico consiliario sibi non cauit. An enim proditor animæ suæ, non & Regiam prodet coronam? si hanc, vt illam, Regem vendit, & ipse vænit, vendat Dauidem Achitophel parricida, iam vendiderat suam ante, & la-*
queo

queo vitam, & propudio famam, & exitio domum, & animam Orco, Vipera, dum parit, perit. *Soli Medico summa impunitas est, hominem occidisse, Soli tali Politico sperata securitas est, Regem prodidisse, aliquando illi securum, nunquam vlli tutum, nam,* quæ molunt Diuorum molæ, atterunt tandem, *lanea manu, ferreo pistillo, lenta quidem, sed graui irâ Deorum, quæ tarditatem grauitate pœnæ compensat,* Improba nunquam Spes Læta-ta diu, *Nullum Bellum iustius, quam, quod pro rebus repetundis suscipitur, In Mauortio populo rebus raptis per clarigationem repetitis, prima vox erat,* Rem Populi Romani redde, finibus egredere, *iuxtà formulam Fœcialium, nec interest mox, an ex interuallo, quia non deserta ob id belli causa, sed suspensa solum ad tempus: Cum rem bello amissam bello repetere meræ facultatis sit, cui nulla præscriptio, ne quidem Platonis anno opponi potest. Sanè Imperator & Belli Dux, nihil magis timere debet, quam ne videatur timere, Spes enim nunquam maior affulget Pacis, quàm cum seriò Bellum geritur. Vilissimo cuique crescit Audacia, si se timeri sentiat. Strenua ingenia, non tàm secunda Pugna, quàm aduersa, ipsaque rerum desperatione efferuntur, Faxit tamen Deus, vt pronius in gratiã tandẽ redeant perpeßi armorũ dãna, nec totius Europæ expectatio, Imperijque vota, & suspiria, pro beata Pace evanescant, neque desuper instituta Comitia,*

Iuuenalis.
Claudianus

Varro. libr. 4. De LL.

viperæ, & infructuosa molimina appellitentur, atque vt *Aristot. lib. de Secret. Secret. Iun.* *Darij Regis filia, Colubros & Venena, lòco alimenti, sic Nos arma, loco Pacis, desideremus, Cauendum enim est, eò maximè in loco Belli ciuilis incendium, vbi circa sunt, qui* *Rusticus. li. 10. de gest. Persar.* *alant, procul, qui extinguant, crescit enim Ignauo cuiq; Confidentià, ex aliorum contagione, Extrahatur error ex multitudinis animo, Magno in morbo nunquam certior imminet interitus, quàm quum parcè remedia, eaque non tempestiue adhibentur; Nihilque tam Regno perniciosum, quam si Populus addiscat in Dominum palàm obniti; Morbum hunc in hoc meo scripto passim demonstraui, & simul* *Seneca.* *Medicinam adhibui, Atramento Calamum tinxi, dum, Exercitus Imperialis gladium sanguine tingit, adornaui aliquod archetypon, in quo viua fœderum ineundorum norma spectetur, functus ea in re speculi vice, feciales fecialibus, Christianos, Christianis, ipsos sibi ostendi, in quo se quisque eorum perspectum, cum quo circumspectum, ex* *Homer.* *quo suspectum habebit: & si quis, vt* Thersites *sibi diffidens, inspicere detrectabit, surdum suæ conscientiæ sentiet flagellum,* sic se formidat, speculum damnante, se- *Claudianus* nectus, *Curiæ quidem hæc cusa in thesi, non in hypothesi; Ità vt cum* Caio, *aut* Seio *nihil mihi litis; Canis lapide petitus, reclamabit, oblatrabitq;. Has lucubrationes meas, præ-clemētissime Cæsar, ob materiæ, cū Suprema Tua Imperiali Majestate, connexitatem, tum etiam, quia debito fide-*

litatis

litatis Tibi adstringor, qui, me mancipium Tuorum cõsiliariorũ numero aggregasti, Tuo Sacratißimo Nomini, dicare pro Canone fidelitatis æterna lege obnoxius sum, Tua Cæsarea Majestas me defendat gladio, vti Ego eam calamo. *Rẽ non ex valore æstimet, vna cum offerentis affectione, eã benignus accipiat. Quas lucubrationes si prono Imperiali vultu acceptas intellexero, maioribus vigiliis me accingam, Eas T. Sacræ Cæsareæ Majestati destinaturus. Vale, viue, Impera, Ità, quotquot Orthodoxi in Imperio sumus, ex animo vouemus. Moguntiæ, 2. Aprilis. Quo die piè recolimus, Veræ Pacis, præcipuum Medium, & remedium, Cœnam nimirum Dominicam. Anno* M. DC. XLIII.

Sacratissimæ, Majestatis Tuæ.

Sum, quoque

Victima totus ero.

PETRVS OSTERMANNVS, D.

ELENCHUS LIBRORUM, ET CAPITUM PRÆSENTIS OPUSCULI, CONTINET.

LIBRI I.

LIBRI II.

CAPUT

LIBRI III.


LIBRI IV.

LIBER QUINTUS.
CONTINET.

VELLI IMPERATORIS CONTRARIA PULSA MEDERI.

CAPUT UNICUM.

Vera FIDUCIA in Deum, & Imperatorem Imperij colæ.
Fidendo, Lugendo, Fugiendo, Attendendo, Deprecando, Luendo, circumquâque *videndo,* præteritum *corrigendo*, Præsens *regendo*, futurum *cernendo.*





BENEVOLO LECTORI, S.

EN, tibi, mi optime Lector. Pacem adfero, & offero, Cum Irene * Imperatrix, vbique conqueratur, quod, perinde, vt Mauritius Imperator, à suo servo dejecta sit Imperio, referendo prætereà Domino Deo acceptum, quòd se Orphanam, & indignam euexerit ad idem, dejectionis suæ causam, nulli mortalium, nisi peccatis suis adscribendo: Ita enim mecum olim *Quintus Fabius* Carthagine, in Curia, sinu è toga facto: *Pacem, inquit & Bellum portamus; Vtrum placet*: similiter ad Antiochum Regem missus est, à senatu Romano, olim Cajus Popilius Fœcialis, cum his mandatis, vt Rex Antiochus se bello, quo Ptolomæum lacessebat, abstineret, Rex, mirâ humanitate, virum complexùs, amicissimo Vultu, dexteram ei porrexit, at suam invicem porrigere noluit, *Popilius*, & fronte, ad Maiestatem composita: Seponamus inquit, priuatam amicitiam, publica jam curanda sunt, & vnà Senatus Consultum protulit, quo jubebatur Rex, aut Ægyptum non incessere, aut bellum habere, cùm Populo Romano. Tabellas ab Senatu missas, vt, legit Antiochus, dixit, se cum amicis collocuturum. cui *Popilius*, moram inquit, hoc negotium non fert, tollenda est, omnis cunctatio. Atque simul Virgâ, quàm manu gerebat, pauimentum denotauit, & in eo describens circulum: prius, inquit, quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod Senatui referam. Non Legatum locutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam

* *id est* PAX, *Græcè*, εἰρήνη,

crederes, continuò enim Rex affirmabat, fore, ne amplius de se Ptolomæus quereretur. Ac tum demùm Popilius, manum, tanquàm socij apprehendit: sic eodem momento Regem Syrię terruit, Ægypti protexit: Identidem in nocte nascentis Christi, cœlestes Angeli, pacem tulerunt, *hominibus quidem bonæ voluntatis, sed bellum Rebellibus,* & Ego in hoc sequenti meo scripto: Proin, (*Lector aue, & si, vis participare, faue,*) *Tu modo pacis ac belli Deus, tù menti, tu stilo moderare: vt mihi, non in prudentiâ humanorum arcanorum indagatrice, sed in tuarum sedium assistrice sapientiâ, omnia reponenti, digna candore vitæ, quam profiteor: par operis, non mole, sed pondere, magnitudini, quòd molior, non minor expectatione, quâ prouocor, ad finem vsq; contingat desideratæ pacis Suada.* (Tu quoq; benedic ex alto, *Domine, Iesu Christe, Princeps Pacis, qui,* vt loquar, cũ Imperatore Leone, *Novell.* I. *in princip.* vniverso humano generi leges salutares tulisti, in Tuo enim nomine, ad omnia consilia, omnesque actus, semper progredimur, *l. 2. in pr. C. De Offic. Præfect. Præt. Africæ,*

Æterni Patris, vox vnica, lingua salutis,
Fœderis Orator, Pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis,
Præterea.
Diva Maria, Dei Filia, Sponsa, Parens.

Græcè, θόκος.

Προαύλιον, *Hypotipoſis, & delineatio methodica, Omnium quinque librorum, Historica.*

REx Macedo Alexander, cũ Dariũ bello peteret, æstù, & itineris feruore percalefactus, Cydno amni corpus suum immersit, sed hebetatis subito torpore, artubus, exspiranti similis, in tabernaculum delatus est, huc amicis pariter & medicis admissis, melius sibi fore Rex aiebat, mori strenuè, quàm tardè conualescere: proinde, si, quid opis

opis aut artis esset, scirent se non tam mortis, quam belli remedium quærere, itaq; Medici attentissimo consilio, salutis remedia circumspiciebant, qui cum ad vnam potionem, sententiam, direxissent, Philippus Medicus, Regi puero fidus admodum comes, & custos salutis datus, non præceps, sed strenuum remedium afferre, potionemque illam manibus suis temperaturum, & eâ vim morbi leuaturum esse promisit. Inter hæc, à Parmenione fidissimo Purpuratorū literæ superuenerunt, quibus monebatur Rex, ne salutem suàm Philippo committeret, mille talentis à Dario esse corruptum. Ingentem animo solicitudinem literæ incusserant Regi, & quicquid in vtramq; partem, aut metus, aut spes subjecerat, secretâ æstimatione pensabat, Bibere perseueraret? vitæ periculùm terrebat, damnaret fidē Medici? anteactæ vitæ fidelitas suadebat aliud. Diu animo in diuersa versato, nulli quid scriptū esset, enunciauit, Epistolamque annuli sui sigillo impressam, puluino, cui incumbebat, subiecit. Inter has cogitationes, biduo absumpto, illuxit, à medico destinatus dies, & ille, cùm poculo, in quo medicamentùm diluerat intrauit. Quo viso Alexander leuato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam, sinistrâ manu tenens, accepit dexterâ poculum & hausit interritus: Tum epistolam, Philippum legere jubet, Nec à vultu Legentis movit oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore posse, deprehendere; Ille, Epistolâ perlectâ, plus indignationis, quàm pauoris ostendit, proiectisqui amiculo, & literis, ante lectum, Rex inquit, semper quidem meus, ex te pependit spiritus, sed nunc verò (arbitror) sacro &, venerabili ore trahitur. Crimen, quod mihi objectum est, tua salus diluet, laxa paulisper animum, quem sollicitudine intempestiuâ amici sanè fideles, sed molestè

ſeduli turbant. Non ſecurum, modò, hæc vox, ſed etiam lætum Regem, ac plenum bonæ ſpei fecit, Itaque ſi tibi permiſſum eſſet, Philippe, inquit, quo maximè modo, animum velles experiri meum, alio profectò voluiſſes: ſed certiorem, quàm expertùs es, ne optaſſes quidem, hâc epiſtolâ acceptâ, tamen quod dilueras, bibi, hæc locutus, dexteram obtulit, vt vero medicamentũ ſe diffudit in venas, & ſenſim toto corpore ſalubritas percipi potuit, primo animus vigorem ſuum, deinde corpus quoq́; expectatione maturius recuperauit: quippe Rex, poſt tertium diem, jam ſoſpes in conſpectum militum ſe dedit.

HIC MIHI AMICE LECTOR, HOS verſus notabis ſedulò,

Vivit Alexander, in Roma, Remus in illo,
Auſtriacum medicum quærit vterque jacens,
Regis Alexandri morbum tulit, arte, Philippus,
Imperij medicum, Pace, Philippus aget,
Imperium Varijs Belli jactatur in vndis,
*Puppis Hli * verſum* γϱάμμα, *Philippus erit.*

* Græcè, ἅλι.

Nam quod medicamenta morbis, hoc jura exhibent negotijs, Leges enim ſunt tanquam cuſtodes quidam, vitæ noſtræ, & Medici, dum mala partim, ne oriantur, ac in communem vitam promanent, impediunt, partim verò, quæ mala occulta ſunt, inſinuanterq́; irrepſerunt, eorum noxam corrigunt, ac veluti radicitus vitioſitatẽ evellunt, eamq́; non ſinunt corroborari; ***Novell Iuſtin, CXI. in præfat. & Leo Imp in Novel. Conſtit. in proœm: Edictum Iuſtini. cap. 5.***

2. ALTERVM MAGIS NOTABILE CARMEN diſtributivum totius Opuſculi.

Imperij Pax eſt, Capitis, quid velle ſit eius.
Noſcere, velle, frui, contraria pulſa, mederi.
1. 2. 3. 4. 5.

CAPUT I.

Continet, Velle Imperatoris, Noscere. Et quidem, Quæ sit, Origo Imperatoriæ, quæ ex Deo est, Maiestatis.



Axima in hominibus sunt dona Dei, à supernâ collatâ clementiâ, *Sacerdotium & Imperium*: & illud quidem diuinis ministrans, hoc autem, humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam; & in templo honoris semper inconniuis oculis Sacrosanctam intueri debent Trinitatem, *Pacis, & Iustitiæ Solem*, solertia enim Aquilæ pullos suos inuolucres exploratura, & à legitimis separatura spurios, vngue suspensos tenet in aëre, eosque opponit solaribus radiis: qui, irretortis & hiantibus oculis excipiunt solem, ij agnoscuntur in filios, submittuntur in nidum, fouentur, & aluntur, perinde si dicat mater: hi mei filij sunt, stirps Aquilina, digni quos nutriam; Cæteros, qui solem tremulis, ac palpitantibus oculis, idque ægrè admittunt, vt degeneres nido præcipitat, & vt genus, non suũ, exhæredat, miserabili lapsu; Sic Deus constituit Regna, ac per illum Reges regnant, ac Principes iusta decernunt, mediante Archi-Principum populi electione. Proinde Henricus Auceps ad filium Othonem M. *En inquit Imperium, non à maioribus mihi relictum, sed per memet ipsum acquisitum, & à soli Deo concessum.* Idem affirmat ArchiEpiscopus Moguntinus, *in Ottonis* coronatione, his verbis, *En adduco vobis Imperatorem à Deo electum.* Legitimè enim accersiti Principes, à iugo Barbarorum Romanos liberarunt, quorum consensu postmodum fuerunt conseruati, & populi acclamatione confirmati. Sic Populus Romanus, Caio Iulio Cæsari olim Imperium, & omnem potestatem suam concessit: Et cum introiissent Principia, & salutatus esset à Præfectis, & Tribunis, & Viris Eminentissimis, acclamatum est, AVGVSTE CONSTANTINE, DEVS TE NOBIS SERVET, VESTRA SALVS NOSTRA SALVS, VERE DICIMVS, IVRATI DICIMVS, hæc vox populi semper fuit, vox Dei. Similiter Carolus M. quartò Romam profectus, maximis bellis confectis, Imperator salutatus, à Populo ROMANO, acclamando in eius coronatione, CAROLO AVGVSTO A DEO ORDINATO, MAGNO, ET

Novell. 6. in præfat.

S. Ambros.

L. Inter Claras. C. De Summa Trin't. & Fide Catholic.

Witichind. *lib. 2. rerum Saxonic.*

§. *6. Inst. de Iur. Nat. gent. & Ciuil. l. 1. ff. De Constit. Princip.*

L. 1. C. De Veteran.

Eginardus Rhegius lib. 2.

ET PACIFICO IMPERATORI. Porrò quo tempore, ſcilicet, Anno ſuprà Milleſimum, ducenteſimum, ſeptuageſimo tertio, poſt diurnum interregnum, de nouo tandem creando Imperatore ab Electoribus cœptum agi, repudiatis Regibus competitoribus, Alphonſo Caſtellæ, Richardo Angliæ, Othogaro Bohemiæ, Rudolphus I. AVSTRIACVS, ſeptemvirali Principum conſenſu, Imperator electus eſt; Tali enim omninò viro opus erat, vt Imperium, quod annis iam viginti duobus, tanquam cadauer iacuerat, ſurgeret, factionibus, vti proh dolor, & impræſentiarum, ſciſſum, cum aliena quiſque inuaderet, vulneribus, ſaucium, cum ſua ſinguli malè regerent; in Italiâ autem hinc Guelfij, inde Gibellini incredibili rabie graſſarentur, Rudolphus inchoatum cum Baſilienſibus bellum, toto in pompam ſtipatus exercitu, Francofurtũ, & Aquis-Granum coronæ causâ profectus eſt, vt more inſtitutoque Imperii inaugurareture. Mirum dictu! Ipſis ſolennibus, cum ad manum, neſcio, quâ culpâ, ſceptrum non eſſet, & aliqui etiam Principum, natâ quaſi occaſione, tergiuerſarentur, Crucem ex ara arripiens, *Quod felix*, inquit, *fauſtumque ſit, hoc ego ſignum, quo redemptum eſt, genus humanum, ſceptri vice ſumo, eo in hoſtes Imperij, ac perduelles vſurus.* Dixit, & ſic etiam poſteà pugnauit, piis ſolitus votis, promiſſiſque victoriam à Deo quodammodo paciſci. Princeps inter Heroës magis, quàm homines collocandus, inter Diuos, quàm Cæſares. Alios enim, Imperium, quod erat, Imperatores fecit: Rudolphus, quod perierat, fecit Imperium, & ſibi quodammodo vindicauit, Auguſtus etiam ſtirpe, in qua tredecim hactenus numerantur Cæſares, Boni, Pij, AVSTRIACI: quibus Nominibus, tituliſque, felicitas Imperii, ſalus hominum, ſecuritas temporum continentur, Nouum iuuentæ florem Romani Maieſtas Imperii induit, poſtquam ſic AVSTRIACA facta. A CAIO IVLIO enim olim tantæ molis initia, ab Auguſto incrementa: ſed multum IVLII Rudolphus, multum Auguſti ALBERTVS, eius filius habuit, vterque AVSTRIACVS, per duplex Anagramma, proinde. 1. CAIVS RATVS. 2. IVSSV ARCTA, dictus. Poſt obitum Rudolphi, & ALBERTVM, iiſdem ad Imperii faſtigium virtutibus adſpirantem, populi vota euehebant, ſed tamen Adolphus Naſſouius, per aſtum quorundam eidem hac vice prælatus, & Rudolpho ſurrogatus, non tàm facilè

lè gloriam ſuam, quam ferre Albertus repulſam. Alter, quod adeptus erat, auarius regendo, amiſit Imperium, alter, quod fruſtrà petierit, merendo magis, quàm ambiendo adeptus eſt. Nova Principum ſuffragia bellum accendunt, cum in cauſam hinc abrogatio, inde electio veniret. Sed lis tota prælio propè Wormatiam decisâ: in quo vterque pugnans Imperator, aut vincere, aut mori obſtinatus erat. Sex horis atrociſſimè dimicatum eſt, cumque dubium fortuna exitum faceret, caſu in ipſum incidens ALBERTVM Adolphus, ſublato clamore, & ſimul enſe; *Hic iam*, inquit, *Romanum linques Imperium.* Ille, & voce promptus, & ferro; *Id verò in Dei eſſe manu*, reſpondit: & ſimul irruentem excipiens, vulnere iuxtà oculum perſtrinxit, in agro Wormatienſi, iuxtà Dornberg/ cuius, & annus, & exitus hiſce verſibus, qui in Adolphi ſepulchro, quod in Monaſterio Frawenfeldt erat, inſcripti fuerunt, notantur.

Anno milleno trecenteno, minus vno,
In Iulij menſe, Rex Adolphus, ruit enſe.

Victor igitur ALBERTVS, quamuis armis ſibi vindicaſſet Imperium, noluit tamen Cæſar eſſe, niſi liberis rurſum ſuffragiis conſtitueretur, Anno MCCXCVIII. V. eidus Auguſti. Conſtitutus eſt, coronatus quoque tanto hominum concurſu, vt ALBERTVS Saxoniæ Dux à turba oppreſſus ſit. Nouus Imperator Rudolphum filium, inuſitato hactenus titulo, ſed inde in poſteros tranſmiſſo, Auſtriæ Exarchum, ſiue Archi-Ducem publicâ authoritate creat: non tàm quietus interim dignitate, quàm felix pugna fuerat. Prima, cum Summo Pontifice Bonifacio Octauo, electionem reijciente, luctatio: breuis tamen, & in Philippum Galliæ Regem conuerſa. 22. Elector Gerhardus II. vel vt alii Gebhardus, de Epſtein/ & 38. ArchiEpiſcopus Moguntinus tum temporis ingenio mobilis, & qua animum Pontificis ſumeret, infeſtus denuò Alberto eſſe; hunc reliqui mox è Sacro Ordine Collegæ Ducem ſequi. Coniurat & Rudolphus PALATINVS, LVDOVICI Filius, maiorique dedecore, quia in Auunculum, & matre MACHTILDE reluctante. Cæſar, cum modicæ vires eſſent, celeritate vſus, & victor omnium futurus, ſingulos inuaſit; tàm pronus tamen in pacem, vt & pugna, & venia triumpharet: Fregit enim virtute ſua, hanc tot Principum coniurationem, & vitream appellauit. Denique Anno MCCCVIII.

MCCCVIII. 8. Kalend. Maij, Imperii X. ante frustrà propinati veneni insidiis tentatis, Magnus, & meliore fato dignus Princeps, ætate adhuc robustus, à suis stratus, qui contrà hostes vbique steterat, duodecim victor præliis (quot liberis adultis floruit) & Triumphatoris titulo Illustris, inter alios Fridericum Pulchrum, filium secundogenitum, Imperatorem reliquit. Quid dicam breuitatis amore, de Friderico III. Imperatore Austriaco, Principe omnium iustissimo, clementissimo, iustissimo, cognomento pacifico? Hic cum Carolus Audax, seu Pugnax, Belgarum atque Burgundionum Princeps metuendissimus, Nouesium inferioris Germaniæ oppidum, quarto lapide inferius Coloniâ Agrippinâ ad Rhenum distans, copiosissimo exercitu obsideret, euocatus tum à circum vicinis Principibus & Ciuitatibus, comparata Imperij viribus non contemnenda bellica expeditione, Nouesium contendit. Vbi pacificus Imperator pro hostilitate, pro pugna, pro bello, rebus omnibus optima pace optimè compositis, & oppidum insuperabili obsidione liberauit, & inita cum Carolo strenuissimo Principe strictissima amicitia, eius vnicam filiam, nomine Mariam, virginem splendidissimam, atque pudicissimam multarum prouinciarum, atque gentium heredem, filio suo Maximiliano I. ArchiRegi, posteà Imperatori inuictissimo, sponsam impetrauit, Sic Deus Principes pios, atque iustos iuuare consueuit, vt hostes etiam, qui eis nocere volunt, mutatâ sententiâ, prosint; Nam ab eo iam tempore AVSTRIACA domus, mirum in modum creuit: vt enim Maximiliano matrimonium cum Mariâ Caroli filiâ vtile fuerat, atque faustum; Ita Matrimonium cum Philippi Regis Hispaniarum filia, ad eum liberos, Nepotesque ipsius Regna Hispaniarum, Neapolitanum atque Siciliæ, iure hereditario detulit, Erat quidem Maximilianus virtutibus summis præditus, & postquàm singulari totius Germaniæ applasu Imperator renunciatus fuerat, nihil eorum, quæ ad officium boni Principis pertinent, prætermisit, & documenta statim illustria, quanto Consilio, virtute, atque fortitudine valeret, dedit, tum ea erat comitate, vt non solum nostrorum hominum, sed etiam exterarum gentium voluntates sibi facilè conciliaret; Rem autem militarem ita excoluerat, vt parua sæpè militum nostrorum manu maximos exercitus hostium deleret, & quoties signis collatis cum eisdem pugnaret, toties

Fridericus III.

Philipp. Comin. *commemor. rer. gestar. lib. 4. cap. 2.*

Maximilianus I.

toties & signa daret, virtutis cuiusdam excellentis, & victorias gloriosissimas referret; In hunc cum omnium Christianarum gentium oculi essent coniecti, idemque nihil optaret magis, quam vt rebus Christianorum pacatis, bella, quibus iidem seipsos conficerent, in Turcam nominis nostri infensissimum, hostem, communi omnium consensu transferrentur, & iam huius rei consilia non dissimulanter captaret, en tibi moritur hic optimus, fortissimusque Princeps, suo quidem tempore, cum spiritus eius in illas cœli sedes beatissimas haud dubiè migraret, nostro verò non item, nam hunc, vt Patrem Patriæ Germania Nostra cuncta, non anteà destitit lugere, quam Carolus V. (quem ego Principem semper honoris, amplitudinisque causa nomino) optimo Auo, optimus ex filio Nepos successisset.

Parasceue ad CAP. II. in qua adumbratur obiter Quæ potestas Augustorum Veterum fuerit? Et quæ hodiè.

CLaret ex Oratione ista, in Senatu orbis à Cæsare habita. *Ego ex omnibus mortalibus placui, qui in terris Deorum vice fungerer: Ego vitæ, necisque gentium arbiter, qualemque quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est; quas nationes funditus excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumcunque capiti regium circundari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iurisdictio est.* Exinde cum appareat Cæsares libera integrarum prouinciarum habuisse commercia, In vetustissimis etiam multarum vrbium priuilegiis legimus, *Hanc vrbem pro Nobis & Imperio duximus retinendam.*

Senec. lib. 1. de clement. cap. 1.

CAPUT II.

In quo specialius demonstratur, quo modo singulari Diuina prouidentia Nobilissima Gens Austriaca, & ob quas virtutes admirandas ferè inimitabiles, prædestinata, electa, & euecta sit, ad Imperium Romanum, & quid illa sibi spondere possit, si iussibus Diuinis, maiorumque suorum vestigiis, prout cæpit, deinceps firmiter insistat.

IMperatoris officium est subditos ducere ad omne bonum, non tantum morale, & theoreticon, sed etiam virtutem religiosam, siuè veram Pietatem, quæ est omnium virtutum fons, & publicæ priuatæque Iustitiæ, & felicitatis causa, imprimis in Republica Christiana *Deuter. cap. 32. primo Samuel c. 12. Versu 14. & contra: Vbi non est pudor, nec cura Iuris, sāctitas, pietas, fides; Instabile Regnū est:* Senec. *in Tyesthe*, hinc seqtur altera virtus moralis, probitas, sc. homines respiciens, nā vana est, absque probitate, pietas Lipsius, *politic. lib. 1. cap. 6.* Quæ serio & verè, non ad pompam, in Principe requiritur. *Salustius in Catilin.* Tertia Virtus est iustitia, quam vnicè Imperator sibi commendatam habebit, si modò regnum suum velit saluum & quietum. Sicuti recte Agapetus ad Imperatorem Iustinianum scripsit; *Quantum potestate cæteris antecellis, tantum etiam factis iustis emicare & antè alios enitere debes.* Sic enim tibi persuasissimum, eam abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini Imperij ac potestatis proportioni, sanctarum virtutum respondeat, reliquæ virtutes sunt necessariæ principi 1. Veritas, 2. Temperantia, 3. Modestia, 4. Liberalitas, 5. Clementia, quæ tamen cum seueritate debet esse coniuncta, ne in crudelitatem, vitium toti Reipublicæ valdè exitiosum, degeneret, *L. prospexit ff. De pœn.*

De Regibus apum produnt passim Naturalistæ, quod præ aliis apiculis coruscantiores habeant pennas, & tamen destituantur aculeo, id est, Apicula sit sine spiculo, explicat illud Poëta, Ouidius Naso, his versibus.

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ
Et faciles motus, mens generosa capit,

Corpora

Corpora magnanimo, satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.

Hæc clementia genti Austriacæ innata & propemodum hæreditaria, est orta, ex pietate. Hinc Austriacus, per Anagramma, dicitur. 1. VSV CARITAS. 2. TV VIS SACRA. 3. VT VAS SACRI. Rudolphus enim primus familiæ huius conditor eiusque magnitudinis Author, nouum orbi terrarum virtute sua splendorem intulit: ne infra Imperium quidem, cum priuatus adhuc esset? supra Elogium cum omnia regeret, & fastu tamen carebat, vt Numen Diuinum, ei adesse scires, magis quam alter Numa Pompilius, pius erat, & peculiari, in Augustissimum Eucharistiæ mysterium cultu, in posteritatem exemplo, spectent Principes, venatum, cœlo turbato, exiuerat, & Sacerdoti venerabilem ferenti ad ægrum hostiam obuius, equum, quo vehebatur, venerabundus dedit, per pluuiam, deinde nudo sequi capite, sacra pergit, Deum agnoscere, vt se hominem profiteretur. Non iam miror, vario promissum vaticinio Imperium, qui sic vehi noluit, sic euehi dignus erat, creuit vero à factis gloria, si quod bellum erat, non videbatur, nisi Rudolphi ductu, auspicioque confici posse. Itaque vocatus, ab Othogaro, Bohemiæ Rege, equitatum in Vngaros duxit, & feliciter pugnauit, ab Argentoratensibus, & Episcopum aliquot prius oppidis deinde & castris, exuit, à Tigurinis, & Vdalricum Regensbergium Regio tumentem fastu debellauit. Suo dein Marte Basileenses. Stellæ, & Psittaci nominibus, in factiones diuisos, aggressus, hostem subitò, & infestum sibi Antistitem S. Galli habuit, quem cum vincere posset, pacare maluit, prudenter professus, *quando cùm duobus dißidium est, cùm alterutro paciscendum*; an arbitrum litis, sequestrumque pacem quæreret? esse ipse voluit, castris igitur propè Vilam oppidum cum paucis egressus, ad Antistitem iuit, & *adsum* inquit, *non iam hostis, si te amicum facio omnem inter nos controuersiam non armis, sed verbis decisurus qua veni fide, aut agam ipse Iudicem, aut te feram.* Neque longa disceptatio fuit: pax inita, & copiæ hostiles, Auxiliares factæ: quibus auctus iam Rudolphus Basileam, stelligerorum siue Nobilium aduersus plebeios, atque Episcopum causam amplexus, petit', & agro prius subacto obsidet. Hanc Auitam pietatem ex traduce patre tractam Albertus I. pressis vestigijs imita-

Anagrã-mata tria, ex vocabulo, AVSTRIACVS, eruta.

tus est, patri enim in Othogarum Bohemiæ Regem educenti aciem, Dei imaginem crucifixi, quasi fortunam Cæsaris prætulit, sua tunc quidem indole maximè tamen nominis fiduciâ animosus, quid non auderet robore, Religione munitus? in medios ruens hostes, pugnando omnibus exemplo fuit: pulchrior à prælio quia totus cruore hostium insignis. Vt cæteros successores Austriacos taceam, breuitatis amore nobile huius pietatis paradigma sese offert in Carolo Quinto Imperatore, & quidem superiori seculo, Anno 1555. Trahebatur tunc temporis adhuc ingentibus Europæ motibus ferale bellum inter Carolum Quintum Imperatorem, & Henricum Secundum Galliæ Regem, ad quem cum hæreditate transierant parentis iræ, animique. Tunc Cæsar euocato ex Anglia Filio Philippo, quam regnorum, Imperijque abdicationem dudum animo meditabatur, exequi tandem, ac magna orbis terrarum parte, spoliare ipse se statuit, editurus ignotum Principum aulæ prodigium, vt cum posset Imperare, desisteret, summa dictorum in calatis Belgarum Comitijs per Philibertum Bruxellium senatoris principalis consilij expositorum hæc fuit, *Cæsarem ingrauescente indies valetudine præfractum, prostratumque serio admoneri, vt suprema componat: & quam rerum molem sustinere diutius pro dignitate, quæ se Imperiumque deceat, haud possit; mature transferat, in Philippum filium, Angliæ Regem, ætate ac sapientia tanto onere, parem, itaque Cæsari, quod sibi, quod Regi, quod prouinciis benè vertat, omni se Belgij Burgundiæque Imperio abdicare, iuratam sibi fidem populis remittere, Philippo filio Angliæ Regi, ius possessionemque Belgij Burgundiæque ex animi sententia tradere.* Hæc Philibertum, rite memorantè surgens improuiso Cæsar, humerisque Guilielmi Orangij principis innitens, interpellat atque è Codice quem, ad subleuandam memoriam attulerat, tanquam è rationario Imperij, gallica lingua recitare ipse cæpit, quæ à septimo decimo ætatis Anno, ad eam vsque diem peregisset, expeditiones, profectionesque nouem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari vndecies remenso, bella, paces, fœdera, victorias, enucleate singula magnificeque magis quam superbè. Addiditque, *eorum operum finem non alium propositum sibi, quam Religionis & Imperij, tutelam. Id à se dum per valetudinem licuerit, ita Deo duce præstitum, vt Carolum hactenus vixisse, & imperasse,*

nullos

nullos, nisi hostes pœnitere possit. Iam quando vires ac propemodum vita deficerent, non sibi futurum dominandi amorem ante suorum salutem, pro sene membris capto ac magno sui parte præ sepulto, validum iuuenta, experrectique, vigoris, ac virtutis principem substituere. Ei vt obedientiam prouinciæ præstent: simul vt inter se Concordiam, atque in Orthodoxa Religione, Constantiam sedulò seruent: demum vt sibi, si quid in eâ curâ, peccatum fuerit, benignè condonent oratos ex animo Velle, se certè illorum fidei obsequiique semper apud Deum, cui victurus erat vni per paucos illos, qui superessent, dies memorem futurum. *Hinc conuersus ad filium, si hæc inquit prouinciarum possessio ad te morte mea peruenisset.* Meritus quidem essem aliquid apud filium relicto tam opulento, auctoque per me patrimonio, nunc quando non necessitas hæc, sed voluntatis hæreditas est: & præmori patrem libuit, vt mortis beneficium anteuerterem; quicquid mihi pro hac anticipati temporis vsura plus debes, id in horum amorem, curamque populorum, vt transferas iure postulo. Reliqui Reges, se filiis vitam tradere, regna se traditurus gaudent, ego posthumum hoc donum præripere fato volui, geminatum gaudium arbitratus, si te non magis viuentem ex me, quam ex me regnantem viuus aspicerem. Exemplum hoc meum pauci imitabuntur: nam & ego quem sequerer ex omni retro antiquitate vix habui, laudabunt certè consilium, vbi te dignum comperient, in quo prima hæc documenta monstrarentur, id efficies, si quam adhuc coluisti, sapientiam, si Dominatoris omnium timorem, si Catholicæ Religionis, patrocinium, si iuris legumque tutelam, *vera vtique regnorum firmamenta perpetuo retinueris*: Vnum superest, quod voueam ad extremum pater, *vt tibi proles huiusmodi adolescat, in quam regna transferre possis, necesse non habeas.* Hæc fatus, procumbentem in genua, filium poscentemque patris dexteram, arctè complectitur, ac cœlestem illi opem imposita eius capiti manu, piè paterneque precatus, subortis lachrymis substitit, ex eorumque qui aderant oculis vbertim lachrymas expressit. Hanc suam pietatem continuauit, vsque ad extremum suæ vitæ spiritum Carolus V. Imperator, nam prima ei cura postmodum fuit, statis Monachorum psallentium precibus, frequenter interesse. non raro sanctorum volumina lectitare, ac pijs de rebus miscere sermones: solito crebrius expiare noxarum confes-

ſione animam ac cœleſti epulo, quanquam interdum non ieiunus, paſcere. id enim ob ſtomachi languorem, indultum ei pridem fuerat ab Romano Pontifice, qui etiam plexo è funiculis tormento (adeò & aliorum exempla, & ſui victor ſemel animus potuere) exigere à ſeſe anteactæ vitæ pœnas perſeuere cœpit, quos inde funiculos à Philippo Rege reuerenter habitos, ab eoque morti proximo afferri ad ſe iuſſit, &, vt erant cruore, Caroli patris aſperſi, filio Philippo Tertio traditos, inter Auſtriacæ monumenta pietatis aſſeruari fama eſt. Poſtremo exequiarum occaſione, quas matri anniverſarias perſoluerat, nouus inceſſit animum cupido (ſi licet) & ſuas celebrandi: reque communicata cum Ioanne Regulâ, è Hieronymianâ familia, qui eius conſcientiam moderabatur; quum is inſolitum, quidem, illud & inauditum, pium tamen ac ſalutare dixiſſet, apparari funus ſibi quamprimum iuſſit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumſtant famuli, mortuale ſacrum mœſto Monachorum cantu peragitur, ipſe funeri ſuperſtes ſuo, ſpectabat in illo imaginario munere veras, ſuorum lachrymas audiebat exequiale carmen, placidam ſibi quietem, beatas inter ſedes implorantium, eademque ipſe ſibi ſuffragia pſallentibus immiſtus expoſcebat. Donec ſacrificanti proprior factus, eique tradens, quam geſtabat accenſam facem, ſublatis in cœlum oculis. *Ego te inquit vitæ ac mortis arbiter oro quæſoque, vt quemadmodum oblatum hunc à me cereum Sacerdos capit, ſic commendatam in manus tuas hanc animam tu quandocunque libuerit tibi, in ſinum complexusque tuos benignè ſuſcipias.* Tunc vt erat bulla fluxa, qua opertus veſte, humi procubuit: renouatiſque omnium, qui aderant, lachrymis, quaſi depoſitus, ſuprema lamentatione comploratus eſt, atque hoc videlicet Rudimento, Carolus vicinæ iam morti præludebat. Namque altero ab exequiis die, febri correptus, eaque paulatim exedente conſumptus, Toletano Antiſtite procurante, quæ Chriſtiano ritu, luctanti animæ ſuppeditantur adiumenta: Religioſiſque, qui frequentes è cænobio circumſtabant, abeunti hoſpiti, expeditum iter in cætus piorum comprecantibus nocte, ante feſtam lucem, Euangeliſtæ Matthæi Annorum octo, & quinquaginta, ex quibus duos ipſe vixerat ingenti ſanè ſenſu pietatis ac religionis exceſſit. Mortem eius clara cœlo terraque ſigna comitata ſunt, paulo enim poſtquam ægrotare

tare cæpit, visus in Hispania Cometes initio non admodú illustris, sed qui sub crescente morbo per eadem incrementa lucem intenderet, donec verso in Hieronymianam sedem ferali crine, qua hora Carolus viuere, ille videri desiit, nec illud admiratione caruit, in Caroli, quem dicebam, hortulo binos eodem tempore stylos emiserat candens, lilium, alter Maio mense, vti assolet, calyce dehiscente floruit: alter quamuis eadem cultura prouocatus, tumorem tamen ac partus signa vere toto atque æstate sustinuit: eademque demum nocte qua Caroli animus integumento sese corporis euolui, ille explicato repente folliculo, intempestiua nempe atque insperata germinatione promisit florem, id vero & obseruatum ab omnibus, & Lilio super Arâ templi maxima ad spectandum proposito, fausti candidique ominis loco acceptum est.

Sic demum Carolus Cæsar, annos quadraginta paternis Regnis, sex & triginta Imperio potitus, ac duos post omnium abdicationem potitus, ipse se dubium reliquit, maioremque laudem in Imperio, totque Regnis administrandis, an in ijs simul omnibus relinquendis promeritus sit. Quid dicam de moderno Augustissimo, inuictissimo, & gloriosissimo moderatore & Imperatore Diuo FERDINANDO Tertio, Alemanico, Gothico, Francico, Germanico, Vandalico, Pio, Felice, Inclyto, Victore ac Triumphatore, semper, Augusto, cuius symbolum est: *Pietas & Iustitia Firmamenta Regnorum*? Quem Principem diuinitus constitutum, & ab ipso Deo repertum, vocatum, electum atque missum, ad hoc Amplissimum Imperium moderandum videmus, cuius gloria humanum modum supergressa, ipsaque rerum gestarum insperata magnitudo, & inimicorum suorum victores exercitus, diuinitus hactenus profligati testantur, quia non est alius Princeps, qui habet sic appropinquantem Deum, sicut adest illi Dominus Deus noster: Quo Auspicio, iam diuinare audemus, non nisi nouum, & ingens, maiusque miraculum secuturum: Nullum autem maius, neque Reipublicæ Christianæ salubrius euenire poterit, quam, quod sublatis, quæ circa Religionem Nostram in Germaniâ, Afflictissimâ Nostrâ Patriâ, factiones grassantur, expurgatisque & extinctis prauis errorum Opinionibus, aliisque dissensionibus ciuilibus deplorandis (quod in proxima ista Germanorum indicta diæta,

Francofurti, ad Mœnum, cum Diuino consilio tum Imperatoris obsequio futurum certò speramus) Ecclesiæ Catholicæ, Imperio Romano Germanico agonizanti, Pacem tranquillitatemque restituat, quo sic tandem pacato Orbe Christiano, vnanimi, principum, & populorum consensu, contra immanissimos Turcas, Christianæ Religionis sanguinarios hostes, victrices ferat, Aquilas fauente Deo, optimo maximo, æterno. Quem nos simpliciter, obnixè, & indesinenter omnique votorum nuncupatione precamur, vt FERDINANDVM optimum humani generis Imperatorem, Augustum, in longissimos nobis & posteris nostris (neque verò illis melius quicquam optare possumus, quam quo fruimur ipsi) semper felicissimum inuictissimum Triumphatorem conseruet, & augeat, vtque omnia sibi pro desiderio Diuini animi sui, quo nocere quidem nemini, prodesse verò omnibus velit, ad incrementum Christianæ Religionis, Imperij amplitudinem & nominis gloriæque immortalitatem, prosperè felicissimeque succedant, & nos omnes tam optimo, felicissimoque Imperatore, obedientiâ, fide, & gratitudine, dignos reddat, & diutissimè frui concedat.

Mortales dubitant, homo sis? FERNANDE, Deúsve?
Sunt Tua Sceptra hominis, sed Tua facta, Dei.

CAPUT III.

In quo traditur singularis & miraculosa prouidentia, cura, & Tutela Diuina circa conseruandam & defendendam gentem Austriacam, apud Imperium Romano-Germanicum totius Christianismi firmamentum & quidem per Angelos Tutelares.

SVnt etiam Principatibus, & Regnis, Angeli Tutelares, seu defensores, quorum opera & ministerio Regna conseruantur, & proteguntur, intelligentiæ aliis dictæ, aliis genij D. Clemens refert. D. Petrũ asseruisse cuiusq; gentis propriũ esse Angelũ, & C. Alexandrin. Dionys. Areopag. synagogæ. Iudæorũ fuit peculiaris Custos Michael & aliꝰ Persarũ & Persici regni, & sic etiã Angelos sibi cõmissos, defendere testatur cap. 10. Daniel, & nisi Dei iussu, vel ob peccata quibus irritatur nomen Domini Dei illorum cedere: cum autem cedunt, & superati quodammodo dicuntur: nec posse subigi nationes nisi intelligentiis illa-

rum

rum superatis, & cedentibus docuimus, ex sacris scripturæ locis, idque inter Ethnicos quoque receptum, qui priusquam in obsessas ciuitates, & regna impressionē facerent, Tutelares illinc Deos euocare procurabant: vt facilius eas mundarēt, Addā tamē ingressos præcipuos Duces, primū hostilē terram, precari illorū Tutelares, & Heroū genios, ne se inuitos reciperent. Sicut fecit Alexander Magnus, qui cū Hellespontū traiecisset in Asiam pergens, & delati essent Macedones in continentem, primus Alexander iaculum velut in hostilem terram traiecit, armatusque de naui tripudianti similis prosiluit, atque hostias cædit, precatus ne se Regem illæ terræ invitæ acciperent. Paulo antequam capienda esset Hierosolyma à Tito Vespasiano, inter præcipua perditionis eius ciuitatis præsagia, illud fuit, quod ante solis occasum antea visi sunt, per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies, tranantes nubila & ciuitati circumfusæ, festo autem die, quam Pentecostem vocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas, ingressi, primum quidem motum, quendamque strepitum senserunt, postea verò subitam vocem audiêre, quæ diceret. Migremus hinc, quæ refert etiā Cornelius Tacitus, de obsidione eius agens, *Euenerant prodigia, quæ neque hostiis, neque votis piare fas habet gens, superstitioni obnoxia, regionibus aduersa, visæ per cœlum concurrere acies rutilantia arma & subito nubium igne collucere templum; expansæ repente delubri fores, & audita maior humana vox, excedere Deos, simul motus ingens excedentium.* Et nocte quoque, qua capta est Troia, apparuerunt dij quidam vt loquitur Maro, exeuntes à templis, & simulacra sua exportantes, Atque solitas à dijs suis deseri eas ciuitates, quæ mox in hostium ciuitatem obuenturæ essent; aut saltem eam fuisse opinionem veterū ostendit Æschylus. Refert, Herodotus, quoq; in 8. quo tempore Xerxes Atticam inuasisset, Athenienses, quibus maximè infensus is erat, edictum proposuisse, vt qua quisque ratione posset, seruaret suos, eoque tempore ingentem Draconem arcis Custodem, cui menstrua libamina ex melle confecta proponere solebant, ea tunc illibata reliquisse, quasi etiam Deus ipse, sic vocabant idololatræ, sedes suas relinquere videretur. Scribit & Suetonius Tranquillus in *Flauio Domitiano.* inter prodigia futuræ mortis eius eum somniasse Mineruam,

Ioseph. lib. 7. de Bello Iud. cap. 2.

quam superstitiose colebat, excedere sacrario, negantem se vltra eum tueri posse, quod exarmata esset à Ioue. Relinquunt custodiam regnorum, Principatuum, locorũ, & Personarum sancti Angeli, ob peccata populi & scelera, quæ prouocant indignationem Dei cujus ministri sunt Angeli: & ita relicta custodia exprimuntur inimicorum visibilium hostium, & inuisibilium potestatum, nempè Dæmonum prædationibus & laqueis: cuius rei fidem Dauid facere potest, *Psalm.* 70. *Ne proijcias inquit Deus me, in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me, quia dixerunt inimici mei mihi* (vide inimicos) *& qui custodiebant, animam meam,* (*vide Angelos*) *consilium fecerunt in vnum: dicentes Deus dereliquit eum, prosequimini & comprehendite eum quia non est qui eripiat.*

Iustinianus noster Imperator, cuius diadema, præter pietatem, subditorum cura decorauit, ardentibus votis, & suspiriis sic orditur *L.* 2. *Cod. De offic. præfect. prætorio Africæ.*

In nomine Domine nostri Iesu Christi, ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur, per ipsum enim iura Imperij suscepimus. per ipsum pacem cum Persis in æternum confirmauimus, per ipsum acerbissimos hostes, & fortissimos Tyrannos deiecimus, per ipsum multas difficultates superauimus, per ipsum Africam defendere, & sub nostrum Imperium redigere, nobis concessum est, per ipsum quoque, vt nostro moderamine rectè gubernetur, & firmè custodiatur, confidimus. Vnde per eius gratiam ciuilium administrationum Iudices ex officia singulis Africanis Prouincijs constituimus, attribuentes quidem emolumentum, quod vnusquisque percipere debeat. Ad eius igitur prouidentiam, etiamnum animum nostrum referentes, & armatas militias, & duces militum ordinare disponimus. Similiter Gens Austriaca, totius Germaniæ Familia antiquissima super illustris quidẽ & Excelsa, nec solum hoc tempore Clara, sed etiam Drusi & Traiani temporibus proprijs Regibus semper, potentissima, atque post receptam Christianam Religionem, semper Regum, Cæsarumque progenitrix, præ cæteris fœcundissima, hodie verò cum multitudine summorum Ducum, tum potentia inuictissimorum Regum, & Imperatorum, ac felicitate parti Imperij, in toto Christia-

Christiano orbe prima & suprema, in proximo vicennali bello Romano-Germanico, S. Angelorum officia & auxilia, contra hostes, Ecclesiæ & Imperij non semel experta est. Ministratorij. 1. hi enim spiritus è carcere liberant. *Actor.* 5. *cap.* 2. Seruant in flammis, *Danielis* 3. *cap.* 3. Vindicant à gladio, *Genes. cap.* 22. 4. Inter Leones protegunt, *Daniel.* 6. 5. In vndis defendunt, *Exod.* 2. *cap.* 6. è vinculis educunt, *Actor.* 12. 7. Incendio vicino subducunt, *Genes. cap.* 19. 8. à mortis supplicio eripiunt, *Daniel.* 13. *cap.* 9. Imminentem cladem auertunt, *Apoc. cap.* 7. 10. Contumaciæ resistunt, *Num. cap.* 22. 11. Inobedientiam reprehendunt, *Iud. cap.* 2. 12. Superbiam puniunt, *Actor. cap.* 12. 13. Hostium castra euertunt, *Eccl. cap.* 48. 14. Plurimos peste perimunt, septuaginta scilicet millium Israelitarum triduo, 2. *Paralipomenon cap.* 21. 15. In bellis terrori sunt, 2. *Machabæor. cap.* 11. 16. Pro amicis se opponunt, *Elisæi* 4. *Reg. cap.* 6. 17. Belli duces constituunt, *Iudic. cap.* 6. 18. Futurum exitium prædicunt, *Apoc.* 18. *cap.* 19. Facundiam donant, *Isa. cap.* 6. 20. Ægrotos sanant, *Ioan. cap.* 5. 21. Fatigatos reficiunt, 3. *Reg. cap.* 29. 22. à Caris vinci se sinunt, *Genes. cap.* 32. 23. Afflictos solantur, *Genes. cap.* 21. 24. Ad benefaciendum hortantur, *Actor. cap.* 8. 25. E cœlo in terras commeant, *Genes. cap.* 29. & *Ioan. cap.* 21. 26. Orantes animant, *Iudic. cap.* 13. 27. Castos vbique ardentissime amant, & propugnant, *Iudith. cap.* 13. Hæc præcipua Angelorum munia & munera. Quibus accedit, quod in nocte, qua Christus natus, non sine lætissimo fulgore, Angelus opilionibus primum ferens nuntium, *Euangelizo, inquit, vobis magnum gaudium.* Visi tamen etiam Angeli in armis & vt nostri milites ferro, sic illi auro quandoque cataphracti Macchabæorum historia narrat. *lib.* 2. *cap.* 11. cum irruente Lysia, Iudas Macchabæus suis auxiliatum iret, apparuit præcedentes eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. & *lib.* 2. *cap.* 19. *ibid.* Contra Timotheum Asiatici exercitus ducem, cum pugnaretur, *Apparuerunt è cœlo Viri quinque in equis*, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Macchabæum medium habentes, armis suis circumspectum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant. Ex hac thesi mi Lector, cape tibi modesto compendio, narratam veri, hypothesin ad institutum huius capitis propositum.

Cum Serenissimus Bauariæ Dux, MAXIMILIANVS, vigore præclementissimæ Cõmissionis Cæsareæ, quondam Ferdinandi Secundi, Pientissimæ recordationis, Anno cIↃIↃcxx. in rebelles Bohemos moueret, non procul Bilsnâ, in vili Pago (Lithiz ei nomen) per aliquot dies castra habuit, hoste satis vicino, & ad insidias variè procurrente, multis frustra tentatis, noctem vnam, quæ opportunior visa, delegit sibi hostis, forsan non minimam cladem illaturus, si inferre illi tam cõcessum, quam destinare. Mens erat, Serenissimum MAXIMILIANVM Ducem, nunc Electorem, & omnem illic militem, vi repentinâ opprimere; & vt cruenta hæc fraus certiore iret successu, selectissimos quoque milites ad signa euocabant primipili, ibat agminis caput, quod & belli, Fridericus, quondam Elector Palatinus, cuius Regiam dignitatẽ, annuum Magistratũ fuisse, euentus docuit: Ibat Princeps Anhaltinus, ibat & Principis Anhaltini filius, ibant præstanti animo & numero Duces complures, cum suis quisque selectis copiis. Primùm agmen Comes ab Hollach ducebat, coniunctis ex omni turmâ selectis equitibus & mosquetariis, vt essent mille trecenti, hos Hungari, illos Austrij, istos alij atque alij sequebantur. Principis Anhaltini filius (qui hæc sua manu conscripsit) PseudoRegem proximus antecedebat, hi omnes castris suis, horâ septimâ primę noctis, cæperunt egredi. Decem millium insidiosa hęc phalanx fuisse creditur. Euntibus nox fauebat, Serenissimum Ducem MAXIMILIANVM locus non defendebat, nec adeo numerosus, puto, miles, qui hosti par esset, vigilabat; vigilabant tamen pro eo insomnes Angeli, qui (quod ipsis facile est) confusissimum hostem, & iam insidias metuentem, quas structurus venerat, in castra repulerunt, re non tantum infectâ, sed nec quidem incœptâ. Triplex hosti obiectum impedimentum: Primum: à viâ aberrarunt, qui apud illos, vię duces peritissimi habebantur, nõ secus ac illi qui sequuntur, ignes fatuos seducentes ad præcipitia, quamuis facillimum sit errare, cum seducunt ipsi Angeli. Alterum; tantę viarum angustiæ occurrebant, vt vniuersum agminis ordinem turbarint & soluerint. Tertium: terror planè Panicus omnem viam coegit relegere, nam eæ inter Vngarorum præsertim ordines ortæ sunt turbæ, vt hostem quem quæsiuerant oppressuri, iam fugerent velut proditi, perditique. Atque hæc vel ipsorum hostium testimonio vera esse

comper-

cõperta sunt, nã omnia quæ narraui, Principis Anhaltini fili⁹, in Gallico Idiomate accuratè perscripsit, prætereà in subsecuto prælio & ipse & bellici ipsius Cõmentarij capti, fusius illud declarant, Non ita diu post memorabilissimam illam cæsis rebellibus victoriam, Augustę, in eodẽ hospitio conuenerunt, miles vnus Religione Catholicus, & gente nobilis; alter dux belli è Wirtembergiâ oriundus, qui rebellium Bohemorum castra sequebatur. Hic miles; quæso, inquit, Strenue Domine, fas mihi sit quærere, qui tandem fieri potuerit, vt omnis adeò animus in pedes vobis conciderit? An non vobis æque à Catholicis copiosus exercitus? An non vobis locus multò æquior, quam Catholicis? An non penes vos Morauiæ equitatus robur? An non vos tormentorum curulium numero illic loci superiores? An non fessum Catholicorum agmen, vos iam dispositâ per quietem acie excepistis? An non vobis vrbs à tergo munimen? Vicinum Palatium. Stella nomine, propugnaculum? vnde ergo Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoscat mihi, Domine tuus genius, penè ausim dicere, Fœminæ fuistis, quia noluistis vincere. Audijt hæc è Wirtembergia militiæ Dux. Et: si finîsti, inquit, quæ in nos promere volebas, & me audi. Pugnæ ratio hæc fuit: Nos nec nostras nec hostium vires ignorauimus; quis vtrimque numerus esset Legionum, sciuimus, & ita equitatum equitatui, Turmas Turmis, Legionem Legioni opposuimus prout licuit; certe hic Ducũ nec industria potest accusari, nec prudentia: arma nobis cum hoste paria fuerunt; locus, fateor, nobis æquior fuit, ac opportunior quam hosti; ex edito pugnabamus in subeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti contra Bauarum militem fauebant. Ideoque victoriæ iam ferè certi, non sicut illi, diu deliberandum de ineundo conflictu censuimus; è re nostrâ esse, visum est plerisque omnibus CONFLIGERE: At verò post aliquod pugnæ felix initium, noua nobis ex aduerso castra stare, gens incognita, & nunquam visa se opponere, legio se ostendere, de qua nihil vnquam nobis innotuit, hic, mihi crede Domine, ea omnium animos inuasit consternatio, vt nemo nisi fugam cæperit circumspicere. nec est quod quis adeò id nobis vitio vertat: ipsi equi stabant, & tremebant, mox partes nostræ labare, dein multum inclinare, inde ruere, demum omnes apertissimè

Drexel. in horol. hora. 5. Noctis *cap.* 2.

fugere, & ſanè plures è noſtris in fuga cæſi, quam pugna.

Et quæ autem hæc inuaſa fuit legio, quæ acies illa incognita, quæ noua caſtra? nos qui præſentes fuimus, vetera nouimus, non noua hæc, niſi ea fuerint è cœlo: certè nullus militum è formidanda & fulminatrice hac legione, ſtipendium à noſtris ducibus vllum exegit. Si Angelos à non nemine noſtrorum viſos, pro nobis pugnaſſe dicamus, nimium in rem noſtram honorifice locuti videbimur, ſed ſuum hoſti teſtimonium non refutamus: nobiliſſimum veritatis argumentum eſt, quod aduerſarius ſuppeditat.

——— *fas eſt, & ab hoſte doceri.*

Addo tertiũ, & recentius, Anno M.DC.XXII. Durlacenſis Marchio, Georgius Fridericus, contra Bauaricam aciem ad Neccarum flumen inter Wimpffen & Hailbrun ſe oſtendit, magnis copijs, nec minoribus minis, nam prædam (vti fertur) à ſe Monachij in foro breui diuidendam ſpondebat. Bauariam certe omnem bonus Marchio ſpe iam deuorârat: nec vires deerant, miles ei copioſus; multorum millium cenſebatur. Atque hic illius exercitus, planè inſtructiſſimus fuit ab omni apparatu bellico. Tormenta curulia, & maiores baliſtas grandi numero ſecum aduexerat. Fuit, qui vbi hæc omnia oculis ſpectaſſet, dicere non eſt veritus: ad vrbem Pariſiorum oppugnandum, hunc talem apparatum ſatis futurum. Ita Marchio hic, Poliorcetes dici potuiſſet, ſi ei ſucceſſus perindè reſpondiſſet.

Porrò Catholicum agmen gemino, ſed non adeò numeroſo conſtabat milite, Bauaro, & Hiſpano, illi Tillius ſupremus Dux, virtute ſuâ, nec vnâ victoria Orbi iam notus, huic *Conſaluus Corduba* præerat. Et vt partes Catholicæ, vel ante pugnam vincerentur metu, ijs pridie commiſſi prælij, Durlacenſis miles, victoriæ iam certus, nuntiari iuſſit: operientur modò, diem craſtini; cæſum iri ad vnum omnes & nec nuntium cladis euaſurum. Ergo pridiè nonas Maias, poſtridie Aſcendentis Domini in cœlum, vtrinque velitationes præmiſſæ, conſueta prælij exordia, inde conflictus cœpit, acer, vehemens, cruentus, & qui ad ſex horas tenuit. Diu anceps ſtetit victoria: Demum ex equeſtrium numero vnus, vndeunde aduectus (*Abbatum equitem dixêre quod equo candido niueoque ſit vſus*) initium fecit victoriæ à parte Catholica, ſtaturæ. Admiranda in hoc equite fuerunt complura. Primum illud:

lud: equus ei non ſolum niueus, ſed adeò pernix & Pegaſeus, vt hoſti non tam currere, quam volare crederetur. Alterum in hunc vnum equitem plures quam quadringenta plumbeæ glandes conuolabant, à Moſquetarijs aduerſæ partis emiſſæ; nulla læſit, ſed nec vlla tetigit. Tertium: auſu incredibili hoſtilem aciem omnem prætervectus, à tergo hoſtium, pulueri pyrio ſubiecit ignem. Atque ita victoriæ nobiliſſimæ prælusit. Nam vbi hoſtes volantem à tergo flammam viderunt, velut feræ indagine clauſæ, collapſis metu animis, ad fugam animarunt pedes. Sed vindicem Numinis iram non effugerunt, eoque tunc numero ſunt cæſi, vt campi cadaueribus ſtrati, lugubri ſpectaculo docerent, inſultantem ſuperbiam detumuiſſe, minas recidiſſe in auctorem: non armis & viribus fidendum eſſe, ſed *exercituum Domino*, cui ludus eſt vel Xerxianas copias, vnico è ſuis milite debellare. Qui verò facinoris illius animoſiſſimi auctorem ſe ferret, qui vna cum equo illo candido, duci ſe ſiſteret, qui præmium poſceret, nullus fuit.

Hæc mihi viſa ſunt ſilentio non inuoluenda, quæ ipſorum hoſtium teſtimoniis ſunt firmata. De re plura, ego non diſputo, nec aduerſariorum narrationem conuello, quæ ſi è ſolido vera eſt, facile liquet, *albatum* illum, vt vocabant, *equitem*, fuiſſe Angelum, qui Catholico exercitui aſpectabilis venerit ad ſuppetias.

CAPUT IV.

In quo recenſentur familiæ Auſtriacæ, quæ à natura conceſſa ſunt inſignia.

SEreniſſimam hanc familiam, præ aliis, ipſa rerum mater, natura, exterioribus quibuſdam notis inſigniuit, vt primo ſtatim aſpectu cognobilē redderet, Notabile ac rarum in hac Auſtria familia eſt, nec non genuinum, ac proprium à proauis, atauiſque; quod maſculi ferè omnes, & fœminæ etiam plurimæ, mento naſcuntur oblongiore, prominentioreque, non tamen indecenti, ſed cuius forma vultum principis graui quadam maieſtate decoret, intuentibuſque reuerentiam concitet. Mentum autem cum prolixius homini eſt, volunt, Ariſtoteles Palæmon declamator, & Loxus Medicus, qui etiam de phyſiognomia ſcripſerunt, animum oſtendere pium, placidum, conſtantem, & minimè

minimè perturbatum. Quæ virtutes ac dotes, vt magnæ & eximiæ sunt, ita Principem virum vehementer adornant. Audiuisse præterea à iuuentute sua, & famam esse publicam, scribit Felix Faber, *histor. Sueuicar. lib. 1. c. 9. & 4.* Quod Comites de Habspurg, ab vtero matris suæ crucem auream in dorso habeant, hoc est pilos candidos, in modum crucis protractos. Sane plurima agminatim se ingerunt, quæ ad encomia huius familiæ trahi merentur. Quorum illud primum esse potest, quod literis consignauit Hermannus Kirchner *in Moruillerio lib. 2. c. 5. n. 83.* in eadem nullam vnquam tyrannum extitisse, præterea tanta huius domus fuit felicitas, vt intra 15. annorũ spatium, omnibus in orbe Christiano Regnis, vel Reges vel Reginas dederit, excepta Scotia: Ens, *lib. 1. Thes. polit. apotelesm. 6. pag.* 147 Ex eadem imperio nostro hactenus tot data capita, quot nunquam ex alia. Res certè & inter ADMIRANDAS est, ait Lipsius in præfat. *de magnitud. Rom p.* 5. ex vnâ Austriâ, verè aureâ stirpe vestra, decem Imperatores (hodie numeramus duodecim) intra hos trecentos circiter annos, orbi Christiano affulsisse: atque id sanguinis & natalium serie, sine vllo fulcro adoptionis. Quid in omni retro Principum classe simile? duo, tres, in vna domo, & vix fuerunt: in primâ ipsa Iulij, nec vltra sextum etiam adeptio prorogauit. Iterum dico, mirabile, & quid nisi à Deo tacita vox & testimonium, datam hanc familiam & demissam è cœlo in terras esse, ad Imperia terrarum? Reuoluas annales, veteres quosuis & genealogias Principum Christianorum omnium examines licet: haud puto in vna stirpe reperies tot sublimia imperia, tot diademata & sceptra, atq; in hâc vna: Quã scribit Iohannes Cuspinianus ex Habspurgensiũ vnica familia produxisse quinquaginta septẽ masculos, Principes, vel Cæsares, vel Reges, vel Archiduces, Duces, aut Comites, quid reperiri poterit rarius, excellentius, aut illustrius? Friuolum ac leue est exemplum, si hæc consideres, quod Plinius vt stupendum fœmininæ felicitatis, atque nobilitatis miraculum, *histor. natural. lib. 7.* adducit. Vna, inquit, fœminarum in omni æuo Lampedo Lacedæmonia refertur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit. Plura me hercule, & maiora decora, reperies inter Austriades Principes: Longè etenim Lacænam illam Lampedona excellit Elisabetha Casimiri Poloniæ Regis, Cæsaris, ac Regis filia, & neptis Regis soror,

Regis

Regis vxor, Regum quatuor mater, & denique Regis auia fuit; nimirum nata ex Alberto V. Imperatore Boemiæ, & Hungariæ Rege, auum maternum habuit Sigiſmundum Imperatorem, Boemiæ, & Hungariæ Regem, fratrem Ladislaum Hungariæ & Boemiæ Regem, & filios protulit Reges Hungariæ Boemiæque Iohannem Albertum, Vladislaum, Alexandrum, & Sigiſmundum, addatur & Fridericus V. filius, qui ad Cardinalatum, regiæ parem quippe dignitatem euectus eſt: Auia quidem fuit Ludouici Boemiæ & Hungariæ Regis. Pighius in Hercule prodicio *p.66.* Tertium locum occupant tot egregia, Auſtriacorum facinora, quorum omnis hiſtoria refertiſſima, vt vere exclamare mihi liceat.

Quod regnas minus eſt, quam quod regnare mereris
Excedis factis grandia fata tuis.

Quoniam itaque virtus ſua meretur præmia, nec ſterilis ea meritò fuit Auſtriacis, Legimus, inquit Felix Faber, *in hiſtor. Sueuica lib.* 1. *c.* 15. in Chronicis Comitum de Habſpurg, quod tantum donum gratis datum habeant, vt quicunque ſtrumoſus, aut gutture globoſus de manu alicuius Comitis de Habſpurg, potum acceperit, mox ſanum, aptum, & gracile guttur reportauit. Quod ſæpe viſum eſt in valle Albrechtsthal in Alſatia ſuperiori, in qua ſunt homines ſtrumoſi naturaliter, qui paſſim prædicto modo ſanabantur, dum vallis adhuc eſſet illorum Comitum. Inſuper notorium eſt, & ſæpè probatum quod dum quis balbutiens eſt, vel impeditioris linguę, ſi ab vno Principe de præmiſſis, ſinè alio quocunque ſuffragio, oſculum acceperit, officium loquendi diſertiſſimè, ætati ſuæ congruum, mox potenter obtinebit. *Hactenus Felix Faber.* Cui licet ex aſſe fidem, non tribuat Camerarius. *Cent.* 3. *horar. ſubciſ. cap.* 42. *p.* 152. Attamen Auſtriacorum virtuti alia quoque ſunt poſita præmia, videmus eoſdem non vni tantum Orbi leges dare, ſed ſceptra ferre in plures; Regna habent, Ducatus obtinent, Principes ſunt, Marchiones audiunt; Comitatus verò, & ditiones tot tenent, quot, vix, ac ne vix quidem, quiſquam illuſtriorum alius. Quibus verò titulis hæc nacti fuerint omnia, longum foret recenſere accuratius, vitioſius verò ſicco omnino tranſire pede, Medium tentabo, aliorum deſcriptione, tuoque benigne lector adiutus fauore, quod ſpero, purus ab omni recedam macula. Metrica ex-

positio. sub quo Principe, & quibus rationibus quælibet prouincia, Dominium, Comitatus, Ducatus, Regnumque huic inclytæ domui accesserit. Gerhardi de Roo annalibus præfixa est: sed quoniam, ea obscura satis ex historiis ipsius, atque aliorum clariora dabimus initia. Circa annum 1218. cum Egensheimensis prosapia defecisset, tres simul competitores prouincialem Alsatiæ Comitatum ad se trahere nitebantur; Albertus Habspurgicus, Albertus Hohenbergicus ad Neccarum, & Ludouicus Ottingensis, qui Henrici Egensheimensis sororem in matrimonio habebat, Hohenburgicum facile induxit Albertus Habspurgicus, vti suam ipsi partem cederet, pacto inter Rudolphum filium, & Annam illius natam matrimonio, ita potior Alsatiæ pars ad Habspurgicos peruenit, reliquam Argentoratensi Præsuli Ottingensis vendidit, cuius successores Landgrauiatus Titulum hodieque vsurpant. Dictus Roo *lib.* 1. *c.* 7. Cum Fridericus Austriæ Ducum ex Babenbergensi gente vltimus, anno post mille ducentos sexto, & quadragesimo, ex vulnere in pugna, cum Hungaris commissa accepto, obiisset, Hermannus Badensis, qui Gertrudim illius ex fratre Henrico Medlicense neptẽ, in matrimonio habebat, Austriæ gubernationem adierat. Eius filius Fridericus, annos tutelæ vix egressus, Neapoli cum Cunradino Apuliæ, & Siciliæ Rege, capite plexus erat, Mater Gertrudis Agnetem filiam Vdalrico Carinthiæ Duci collocat, ipsa cum amita sua Margaretha Austriæ gubernacula retinet. Nupta fuerat Margaretha Henrico iuniori Friderici II. filio, cui Fridericum & Henricum peperit, sed marito & filiis orbata in Austriam redierat. Hanc cum prouinciales Theodorico Misniæ Marchioni collocare pararent, Ottocari pater, Primislaus interceptos illorum Legatos, vti filio eam desponderent, adegit. Itaque Ottocarus anno eius seculi quinquagesimo secundo, Austriam inuasit ipse, Stiriam Belæ Hungariæ Regi prædę obiecit. Anno demum sexagesimo eundem bello aggressus magno prælio superauit. Inde in Borussiam profectus omnia armis subegit, & Regium montem ciuitatem condidit. Reuersus in Austriam, vti à mari Balthico ad Adriaticum sinum vsque regnaret, ab Vdalrico Duce, iam sene & liberis carente, Carinthiam cum vicinis ditionibus emit, inde postea cæpit dominatione abuti, vt Anno 1275. in Comitiis Augustanis legati Austriæ, & vicinarum prouinciarum Legati publicè

blicè de eodem fuerint queſti. Placuit tandem iiſdem in Comitiis ad eundem legatos mitti. Miſſi fuerunt Burggrauius Norinbergenſis, & Henricus Baſilienſis Epiſcopus, Auſtriam, Stiriam & reliquas Regiones Imperij nomine repetunt, Ille Auſtriam, ſe, & Stiriam dotalem, Carinthiam cum cæteris ſuo peculio emtam prius, armis denique & iure belli aſſerta tenere, reſpondit. Burggrauius contra, neque Auſtriam à fœmina ad alienos transferri, neque cæteras prouincias abſq; Imperii aſſenſu vendi ius fuiſſe, multis rationibus demonſtrabat, ſed præter contumacia verba, & acerba in Rudolphum conuitia nihil referebat, itaque eodem Imperii conuentu reuerſis legatis, Ottocarus Imperii hoſtis declaratur, Rudolphus Auſtriam victor ingreditur: Inter eundem & Ottocarum pax certis firmatur conditionibus, hic poſtea eam, vt & conditiones reuocat, à Cæſare deuincitur & prælio vitam finit. Albertus poſtea Rudolphi filius præficitur Auſtriæ, ſed denique in Comitiis Auguſtanis Anno 1282. Auſtriam, Stiriam, Carniolam, & Vindorum Marcham ab Imperio recipit feudi nomine, Rudolphus etiam alter Cæſaris filius, Sueuiæ Dux, Alſatiæ Landgrauius & Ergouiæ Comes declaratur, *idem lib. 1. p. 23. & 34.* Carinthiam morte Henrici ἀκεφα νι, Ludouicus Cæſar, Auſtriis conceſſit, fruſtra repugnante Ioanne Rege Boemiæ; qui gener dicti Henrici, Igitur ne Ioannes planè exheres eſſet, Tyrolum pro bolo deuorat, quo abeunte, ad plures Alberto Auſtrio, illud Syrma acceſſit, Vietor. *de cauſ. exempt. concl.* 13. Plenius hæc Gerhardus de Roo. *d. annal. lib. 3. p. 99.* conſignauit, cuius poſtquam in premiſſis fidem, verbaque ſecutus, cæptam non hic abrumpam telam. Ludouicus Imperator, cum Anno 1335. Henricus Carinthius extremum ſuum clauſiſſet diem, Cæſar præterito filio Ioannis Boemiæ Regis, qui Margaretham vnicam Henrici heredem habebat vxorem (quam ob oris vitium Maultaſch / vulgo vocabant) Carinthiam, Carniolam, & adiunctas illis regiones, Auſtriacis fratribus in fidem contulit, ſola Tirolenſi ditione Margarethæ relicta. Ioannes Rex ex Italia reuerſus apud Imperii Principes grauiter conqueritur, filio ſuo magnam fieri iniuriam, eius vxorem paterna hereditate ſpoliari, multis argumentis, & exemplis, cauſam ſuam agit. Reſpondet Cæſar, pro iure ſuo licere ſibi ditiones abſque melioris ſexus herede ad Imperium reuolutas, pro eius commodo, qui-

bus videretur, aſſignare, conſtare ſibi facti ſui rationes & cauſas, earumque prouincias Auſtriæ vicinas, non alio modo quietiores & imperio obſequentiores fore, quam ſibi ab Auſtriacis gubernentur. Albertus Auſtriacus Secundus, cui ab euentu prius contracto, mox à prudentia Sapientis cognomen fuit, ſolus ex Alberti Cæſaris prole ſuperſtes, in vxorem duxit Ioannem Vdalrici vltimi Ferretarum Comitis filiam. Hic Comes mortuus prædictam Ioannam, & Vrſulam filias reliquit, nullos prætereà liberos, Vrſula octo millibus Ducatorum numeratis, Auſtriaci eum Comitatum, vna cum tota Suntgouia ex reliquis Ferretanorum ditionibus hereditate adierunt. *Idem lib.* 3. *pag.* 101. & 111. Rudolphus IV. Auſtrius, Alberti II. maximus natu filius Taruiſianam Marcham, cum vicinis aliquot locis, de quibus Patri cum Venetis controuerſia interceſſerat, Caroli Cæſaris beneficio obtinuit. *Idem lib.* 3. *p.* 111. Conſtans eſt non modo apud vulgus tantum, ſed Illuſtres, quoq; rerum ſcriptores, Cuſpinianum, Auentinum Lazium, & alios opinio, Margaretham [quàm ſuprà diximus * Maultaſch] Rudolpho Auſtriaco nupſiſſe, eaque ratione Tirolenſium ditionem ad Auſtriacos deueniſſe. Ego verò, vti eorum authoritatem non impugno, ita in diplomatis indubitatæ fidei inuentum nihil contrarii adſtruò, matrimoniũ inter ipſos contractũ fuiſſe, neque cõtrahi potuiſſe. Eius diploma habetur, quo omnibus teſtatum vult, Auſtriacos fratres, quorum auia fuit Eliſabetha, Henrici Tirolenſis ſoror, proximos ſibi conſanguineos eſſe, ad quos, ſi ipſam mori contingeret, omnium ſuarum ditionum, ac rerum quarumcunque hereditas, naturæ lege ſit deuoluenda, quos iam viua ac valens, ſuique compos ijs omnibus pleno iure præficiat. Hanc eius donationem Carolus Cæſar, ex Imperij beneficio, confirmauit. *Idem d. l.* 3. *p.* 114. Anno 1366. bellum in Briſgouia Friburgenſibus fuit, cum ipſorum Comite Eggone; pace tandem cõfectâ Eggo acceptis duodecim aureûm nummûm millibus Friburgi aduocatiam, quam vocant, Auſtriacis propinquis ſuis conceſſit, quorum ditioni ea ciuitas adhuc ſubeſt. *Idem d. lib.* 3. *p.* 117. Anno 1376. Leopoldus probus Archidux, paternæ ditionis amplificandæ ſtudioſus, à Rudolpho Montfortio Comitatum Veldkirch (Diui Petri campum antiquitus id oppidum vocabant) triginta ſex aureorum millibus emit, Pludenz, etiam Sargans, & ſacrum montem

*vocatam

tem

tem ab Alberto Comite Werdenbergico, qui loca ea, ob res attenuatas, in tanta hominum discordia, haud facilè tueri poterat, coëmit. *Idem d. lib. p.* 120. Fridericus Imperator Ciliæ Comitatum domino orbatum, ex veteri quadem conuentione suum contendens occupauit, & Stiriæ partem esse iussit. *Idem lib. 6. p.* 228. Matrimonia Austriacæ familiæ Principibus, quam fuerint, ad molem potentiæ firmandam, propitia præter illa, quæ ex superioribus nota, testantur exempla Maximiliani, qui Mariam Caroli postremi Ducis Burgundiæ vnicam filiam, atque amplissimarum ditionum heredem sibi collateralem duxit: Hoc enim connubio familiæ suæ adiecit Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Zelandiam, Lucenburgum, & alias inferioris Germaniæ prouincias. Nec minus felix fuit connubium Philippi filii Maximiliani, cum Ioanna, nata Ferdinandi Regis Arragoniæ, & Elisabethæ Reginæ Castiliæ, quo Hispaniam, Neapolitanum & Siciliæ regnum, Indiamque occidentalem Austriacis copulauit opibus. De Regno Vngariæ res ita habet; Mortuo Matthia Rege Vngariæ Anno 1490. Imperator Fridericus ad Comitia Regni legatos misit, qui ex pacto, quod cum Hungariæ Regibus habebant, aut ipsum esse eligendum contendebant, aut filium eius Maximilianum Romanorum Regem, competitores illis erant Iohannes Coruinus Matthiæ filius, Vladislaus Bohemiæ Rex, & frater eius Albertus, sed tum temporis vicit inter illos fortuna Vladislai, qui cùm id futurum speraret, iam antea ad regni fines accesserat. Ægrè hoc Maximilianus tulit, atque in Austriam duxit exercitum, bellumque in Hungariam suscepit. Quod posteà transactione finiri cœpit, qua inter alia placuit, vt Vladislao sine prole moriente Regnum ad Austriacos deuolueretur; Idem pactum alij narrant, inter Maximilianum, legatosque Vngariæ Regis ad annum 1494. renouatum firmatumque. Tandem cum Ludouicus Hungariæ Rex ingenti prælio à Solimanno Turcarum Imperatore victus, cæsusque fuisset, eius morte Boemiæ, & Hungariæ Regnum ad Ferdinandum, Caroli Cæsaris Germanum, cui Ludouici Regis soror erat nupta, peruenit. Turcelin. *lib.* 10. *Epitom. histor. p.* 473. Explicat hoc paulo überius Goldastus. *De Regno Bohem. lib. 6. c. 6.* vbi per totum in eo est, vt monstratum det, Regnum Bohemiæ atque Hungariæ, iure Matrimoniali in domum Austriacam

translatum. Et *eodem lib. cap.* 9. explicat, quomodo Regna isthæc ad domum Austriacam iure vxorio redierunt. Brennus Cypri & Hierosolymæ Rex, filiam suam Iolem, Hierosolymæ Reginam appellatam Cæsari Friderico II. dedit in Matrimonium, illa mente, vt hic dotali sacri Regni titulo auctus maiore animo sacrum capesseret bellum. Hinc Siciliæ Reges (qui & ipsi hodie Austriaci, ex Carolinâ videlicet, lineâ Reges Hispaniæ) Hierosolymitani Regni Titulum habuêre. Turcelin. *d. Epitom. histor. lib.* 9. *p.* 383. Anno 1506. Imperator Maximilianus, contra Comitem Palatinum (Rupertum ni fallor) expeditionem suscepit, atque compositione facta, ist die Landtvogthey zu Hagenauw/ vber die Reichsstätte in Elsaß/ so deß Pfaltzgraven gewesen/ an das Hauß Oesterreich kommen/ vide Hordleder, *de causis belli German. lib.* 3. *c.* 1. *p.* 623. *n.* 66. Anno 1519. Vlricus Dux Wirtenbergensis à fœderatis Sueuicis sociis ditione sua exutus fuit, quod Reutlingam vi expugnasset, Postea idem Ducatus Carolo V. à confœderatis datus, deinde ad Ferdinandum, Caroli fratrem peruenit. Denique Vlricus Anno 1525. ope & auxilio Landtgrauij Hassiæ eundem postquam bello recuperasset, transactione Anno 1534. facta feudum Austriacorum remansit, eo onere quo dicam infra, vbi de familia Würtenbergica, acturus, Interea locum hunc Guntheri Ligurini versiculis libet obsignare, qui Austriacæ familiæ conuenientes mihi videntur.

O verè famosa domus, cui totus ab ortu,
Solis ad occiduas mundus substernitur auras
Quam qui nouit amat, qui non nouêre verentur;
Cuius in auditu confusis mentibus hostes
Tabescunt, contraque nihil se posse fatentur.

Non minima autem præter ditiones commemoratas Austriaci splendoris pars est, priuilegiorum atque immunitatum, quibus coruscant corona. Nullus enim in vniuersa Christianitate Princeps tot tantisque gaudet immunitatibus, priuilegiis, eminentiis, ab Imperatoribus & Regibus Romanorum concessis, quemadmodũ Austriæ. Cuspinianus in *Austria pag.* 32. adeoque equidem, vt nonnullis etiam ipsos Imperij vincat Electores. Sixtinus *de Regalib lib.* 1. *cap.* 4. *num* 33. *& seqq.* I. Austriacis ius esse fertur, vt Regum neminem, Cæsare excepto, Maiestatis afficiant Titulo. Cum Maximilianus Rudolphi Imperatoriis frater

à Sigis-

à Sigiſmundo, Poloniæ rege certis conditionibus, ſine pretio liber ex captiuitate anno 1589. dimittendus eſſet, Tunc eum Polonus officioſe inuiſit, ac ſalutauit. Viciſſim Maximilianus pro officioſa humanitate gratias egit, ſed Maieſtatis titulis erga ipſum abſtinuit, cum Auſtriacis ius eſſe diceret, vt Regum neminem, Cæſare excepto, his titulis decorarent. Itaque vtrinque ſerenitatis titulis contenti ſermones diu conſeruêre. Thuan. *l. 96. hiſtor. p.* 310. Ampliſſima huius familiæ priuilegia ſunt & alia, quæ ex Guſpiniano ſubnecto.

Donatio Henrici Imperatoris, Ducis Auſtriæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS Amen, Henricus DEI gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus: Dignum eſt nimirum & conſentaneum, poſſibilibus rogatibus Regiam Maieſtatem omni tempore annuendo largiſſimè ſubuenire, ipſosque benigniter adimplere. Nouerit igitur omnis Chriſti, noſtrique regni fidelium ætas, & ſucceſſura poſteritas, quod Nos Principum, quorum iuris, quenque Romanorum Regem eſt eligere, beneplacito, conſilio & fauore, omnia iura, gratias & libertates, cunctaſque bonas conſuetudines nobilium terrarum Auſtriæ & Styriæ, quæ vſque ad nos variæ deuenerunt, de quibus etiam rite, & rationabiliter noſter & ſacri Regni dilectus, Leopoldus Dux Auſtriæ & Styriæ, antiquorum Imperatorum Romanorumque Regum literis, quas certitudinaliter, læſione procul mota, quales vidimus, plenius nos inſtruxit: & cum diuina gratia Regia perfectiſſima perfruamur poteſtate, proculdubio noſtram Regalem benè condecet liberalitatem, vt noſtras & ſacri Regni Principes, eorumque terras, iuribus & gratiis ſpecialibus ſublimemus, è quibus ſpecialiter Magnificum, & ſacro Regno fideliſſimum, ſummum noſtrum Principem Leopoldum, Ducem Auſtriæ, & Stiriæ, eaſdemque ſuas terras, ſequentibus iuribus, gratiis & libertatibus volumus honorare. Primò, quod ſi quis alicui Ducum Auſtriæ & Stiriæ, quacunque cenſeretur dignitate, ſuarum terrarum prouincias, & alia cætera, quocunque nomine nuncupationeque cenſean-

censeantur: quæ autem à regali magnificentia, seu à Principibus spiritualibus concessionis, collationisue officio deriuaretur, legare, dare, obligare, vnde contingat eosdem venditores, seu obligatores huiusmodi nostras Regalis Maiestatis nec aliquis hominũ æqualiter valeat impedire, quod si aut eadem venditio, obligatio, datio, legatio euenire contingeret tam repente, quod nec Regia sublimitas, nec harum rerum collatores possent aliquatenus requiri, Ducibus Austriæ, & Stiriæ prædictis in eorum iuribus ob hoc nullum eueniat penitus detrimentum. Etiam idem generosus Princeps, Leopoldus, Dux Austriæ & Stiriæ coram nostræ Maiestatis oculis, & Electorum Romani Regni culminis inquisitione & sententiâ obtinuit, pro solerti suarum antiquarum literarum recitatione, vt omnia sua iura seu feuda, cuiuscunque sint conditionis, in equo residens recipiat, talibus collationibus magnifice precatus, Præterea eidem Illustrissimo Principi Leopoldo, Duci Austriæ & Stiriæ, cunctisque suis sequacibus hanc largiter concedimus dignitatem, vt sui Principatus pileo, nostræ Regalis coronæ diadema solenniter ferre possit, Volentes largius, suas terras, seu ditiones, districtus, & cætera ad huiusmodi pertinentia, vel quæ in posterum poterint obtinere, habere cuncta iura, libertates, gratias, bonasque consuetudines, quas Duces olim terrarum iam dictarum piæ recordationis in commendabilem ex antiquis cõsuetudinem perduxerunt, atque recenter à nostræ manibus excellentiæ susceperunt, quibusuis impedimentum inuolabiliter procul motis. Demum mandamus, & sub interminationibus nostræ gratiæ districtè præcipimus, vt nullus sit, qui ausu ductus temerario, strenuissimum Principẽ Leopoldum Ducem Austriæ & Stiriæ præfatum, suosque sequaces, audeat impedire, vel alicuius ingenii scrupulo molestare. Quod qui facere præsumpserit, offensum nostræ Celsitudinis se nouerit incursurum, Ad quarum etiam gratiarum cõcessarum perennem memoriam hanc ei literam conscribi, & sigillo nostro iussimus insigniri. Testes hi sunt. Ludouicus Dux Bauariæ, Palatinus Comes Rheni, Vlricus & Ludouicus Comites de Terroto Conradus Burggrauius de Neurnberg, Fridericus de Truhendingen, Comes, Eberhardus Dapifer, de Walpurg, Conradus Pincerna de Winterstetten, Chunradus de Sindelueldt, & alij quã plures. Acta apud Eslingen, Anno Dominicæ Incarnationis. 1228. nono Cal. Septemb. Indictione prima.

FRI-

FRIDERICI II. IMP. I. PRIVILEGIA pro Duce Austriæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS Amen, Fridericus II. diuina fauente clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, iuſtis Principum noſtrorum, petitionibus condeſcendere cogimur: quas niſi fauorabiliter audiremus, obaudire quod iuſte petitur, per iniuriam male audiremus. Ea propter per præſens priuilegium nouerit tam præſens ætas quam ſucceſſura poſteritas, quod noſter Excellentiſſimus Princeps Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ, ac Dominus Carniolæ, dilectus Princeps, ac conſanguineus noſter, quoddam Priuilegium Diui Auguſti Imperatoris quondam Friderici, aui noſtri ſcilicet, primi eius nominis, memoriæ recolendæ, Heinrico quondam Duci Auſtriæ proauo ſuo dudum indultum, noſtro culmini præſentauit, ſupplicans attentius, vt ei illud innouare, & omnia, quæ continentur in eo, confirmare de noſtra gratia dignaremur, cuius tenor per omnia talis eſt: In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus, primus eius nominis Quanquam rerum commutatio ex ipſa corporali inſtitutione poſſit firma conſiſtere: nec ea, quæ legitimè geruntur, vlla poſſunt refragatione conuelli: ne cauſæ rei geſtæ, vlla poſſit eſſe dubietas, Imperialis debet interuenire autoritas. Nouerit igitur omniũ Chriſti, Imperiique noſtri fidelium præſens ætas, & futura poſteritas, qualiter nos, eius cooperante gratiâ, à quo cælitus pax miſſa eſt hominibus ſuper terram, in generali noſtrâ Curiâ Ratiſponæ, in natiuitate S. MARIÆ celebrata, in præſentia multorum religioſorum & Catholicorum, litem & controuerſiam, quæ inter chariſſimum noſtrum Patruum Henricum Ducem Auſtriæ, & inter nepotem noſtrum chariſſimum Henricum Ducem Saxoniæ diu agitata extitit, ſuper Ducatu Bauariæ, & ſuper Marchia, à ſuperiore fluminis parte Anaſi, terminauimus hoc modo: quod Dux Auſtriæ reſignauit nobis Ducatum Bauariæ, & dictam Marchiam, quos tenebat. Qua reſignatione factâ mox eundem Ducatum Bauariæ in beneficium contulimus Duci Saxoniæ.

xoniæ. Prædictus verò Dux Saxoniæ cessit & renunciauit omni iuri & actioni, quas habebat, ad dictam Marchiam, cum omnibus suis iuribus & beneficiis. Ne autem in hoc facto honor & gloria Patrui nostri charissimi aliquatenus minuatur, de consilio & iudicio Principum, Illustri Vladislao Duce Bohemiæ sententiam promulgante, quam cæteri Principes approbant, Marchionatum Austriæ, & dictam Marchiam supra Anasum, commutauimus in Ducatum: eiusdemque Ducatum cum subscriptis Iuribus, priuilegiis & gratiis omnibus liberalitate Cæsareâ contulimus Henrico prædicto patruo nostro charissimo, prænobili, suæ vxori Theodoræ, & liberis eorundem, ob singularem fauorem, quo erga dilectissimum patruum nostrum Heinricum Ducem Austriæ, eius conthoralem prænobilem Theodoram, & eorum successores, nec non erga terram Austriæ, quæ *Clypeus, & cor sacri Romini Imperij esse dignoscitur*, afficimur de consilio & consensu Principum Imperii, dictis coniugibus, eorum in eodem ducatu successoribus, nec non prætactæ terræ Austriæ subnotatas constitutiones concessiones & indulta, autoritate imperiali in iura plena & perpetua redactas, donauimus liberaliter vigore præsentium, & donamus: Primo quidem, quod Dux Austriæ quibusuis subsidiis, & seruitiis tenetur, nec esse debet obnoxius sacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de sui arbitrii libertate fecerit: eo excepto duntaxat, quod Imperio seruire tenebitur, in Hungariam duodecim viris armatis per mensem vnum sub expensis propriis, in eius rei euidentiam, vt Princeps Imperii agnoscatur. Nec pro conducendis feudis requirere seu accedere debet Imperium extra metas Austriæ, verum in terra Austriæ sibi debentur sua feuda conferri per Imperium & locari. Quod si sibi denegaretur, ab Imperio requirat, exigat literatorie trina vice: quo facto, iuste possidebit sua feuda, sine offensa Imperii, ac si ea corporabiliter conduxisset. Dux etiam Austriæ non tenetur aliquam curiam accedere, edictam per Imperium, seu quemuis alium, nisi vltrò de sua fecerit voluntate: Imperium quoque nullum feudum habere debet, Austriæ in Ducatu. Si verò Princeps aliquis vel alterius status persona, nobilis vel ignobilis, cuiuscunque conditionis existat, haberet, in dicto Ducatu possessiones ab ipso iure feudali dependentes, has nulli locet, seu conferat, nisi eas prius conduxerit à Duce Austriæ

AUSTRIA est Cor, & Clypeus Imperii.

ſtriæ memorato: cuius contrarium ſi fecerit, eadem feuda ad Ducem Auſtriæ deuoluta, libere ſibi ex tunc iure proprietatis & directi dominii pertinebunt, Principibus Eccleſiaſticis & monaſteriis exceptis duntaxat in hoc caſu, cuncta etiam ſecularia iudicia, bannum Syluestrium, & ferinarum, piſcinæ, & nemora in Ducatu Auſtriæ, debent iure feudali à Duce Auſtriæ dependere, etiam debet Dux Auſtriæ de nullis oppoſitionibus vel obiectis quibuſcunque, nec coram Imperio, nec aliis quibuslibet cuiquam reſpondere, niſi id ſua propria & ſpontanea voluerit facere libertate: ſed ſi voluerit vnum locare, poterit de vaſallis ſeu homologiis, & coram illo ſecundum terminos præfixos parere poteſt & debet iuſtitiæ complemento. Inſuper poteſt idem Dux Auſtriæ, cum impugnatus fuerit ab aliquo de duello, per vnum idoneum non inenormitatis macula detentum, vices ſuas prorſus ſupplere. Et illam ipſe eadem die, ſeu Princeps vel alius quiſquam, pro alicuius nota infamiæ non poteſt impetere, nec decet impugnari. Præterea quicquid Dux Auſtriæ in terris ſuis, ſeu diſtrictibus, ſeu fecerit, vel ſtatuerit, hoc imperium nec alia potentia modis ſeu viis quibuſcunque debet alio quoquo modo impoſterum commutare. Et ſi, quod Deus auertat, Dux Auſtriæ ſine herede filio deceſſerit, idem Ducatus ad ſeniorem filiam, quam reliquerit, deuoluatur. Inter Duces Auſtriæ qui ſenior fuerit, dominium habeat dictæ terræ. Ad cuius etiam ſeniorem filium iure hereditario deducatur: ita tamen quod ab eiuſdem ſanguinis ſtipite non recedat, nec Ducatus Auſtriæ vllo vnquam tempore diuiſionis alicuius recipiat ſectionem. Si quis in dicto Ducatu reſidens, vel in eo poſſeſſiones habens, fecerit contra Ducem Auſtriæ occultè vel publicè, eſt dicto Duci in reb. & corpore ſine gratia condemnatus. Imperium dicto Duci Auſtriæ contra omnes ſuos iniuriatores debet auxiliari & ſuccurrere, quoad iuſtitiam aſſequatur. Dux Auſtriæ Principali indutus veſte, ſuppoſito pileo Ducali, circumdatus ſerto pinnito, baculum habens in manibus, equo inſidens, & inſuper more aliorum Principum Imperii, conducere ab Imperio feuda ſua debet. Dicti Ducis inſtitutionibus & deſtitutionibus in Ducatu Auſtriæ ſuo eſt parendum. Et poteſt in terris omnibus tenere Iudæos, & vſurarios publicos, quos vulgo vocat gewertſchin/ ſine Imperiali moleſtia & offenſa. Si quibuſuis Imperii curiis publicis

Dux Austriæ præsens fuerit, vnus de Palatinis Archiducibus est censendus. Et nihilominus in consessu, & incessu ad latus dextrum imperii post Electores Principes obtineant primum locum. Dux Austriæ donandi & deputandi terras suas cuicunque voluerit, habere debet potestatem liberam, si (quod absit) sine heredibus liberis decederet: nec in hoc per Imperium debet aliqualiter impediri. Præfatus quoque Ducatus Austriæ, habere debet omnia & singula iura, priuilegia, & indulta, ipsius Ducatus quæ priuilegia, quæ obtinere reliqui Principatus Imperii dignoscuntur. Volumus etiam, vt si districtus & ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint ex hereditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusuis aliis deuolutionum successibus, præfata iura, priuilegia & indulta, ad augmentum dicti dominii Austriæ plenarie referantur. Et vt hæc nostra Imperialis constitutio omni æuo firma & inconuulsa permaneat, præsentes literas scribi, & sigilli nostri Impressione fecimus insigniri, adhibitis idoneis testibus quorum hæc sunt nomina: Pilegrinus Patriarcha Aquileiensis, Eberhardus Archiep. Salisburgensis, Otto Frisingensis Episcopus, Chunradus Batauiensis Episc. Eberhardus Bambergensis, Hartvvicus Ratisponens. & Tridentinus Episc. Dominus Welffo, Dux Chunradus frater Imperatoris Friderici I. Cæsaris: Palatinus Rheni Fridericus, filius Regis Chunradi. Henricus Dux Carinthiæ, Marchio Engelbertus de Histria, Marchio Albertus de Staden, Marchio Neopaldus de Vochburg, Hermannus Palatinus Comes de Rheno, Otto Comes Palatinus, & frater eius Fridericus de Schiern, & Witelsbach, Eberhardus Comes de Sultzbach, Rudolph Comes de Schvveinsheut, Albertus Comes de Hallensis, Eberhardus Comes de Purckhausen, Comes de Putina, Comes de Peilstein, & quam plures &c. signũ &c. Ego Reynaldus Cancellarius, Vice Arnoldi Moguntini Archiepiscopi, & Archicancellarij recognoui, regnante Domino Frderico Romanorum Imperatore Augusto, eius nominis I. in Christo. Datum Ratisponæ 15. Calend. Octobr. indictione quarta Anno Dominicæ incarnationis M. C. L X V I. feliciter Amen, Anno Regni eius quarto, Imperii secundo. Nos itaque qui fidem & obsequia nostrorum Principum non patimur irremunerata transire, attendentes fidem puram & deuotionem sinceram, quam prædictus Princeps ad

Maiestatis

Maiestatis nostræ personam & sacrum Imperium habet, pro gratis quoque seruitiis, quæ nobis & Imperio exhibuit hactenus fideliter & deuotè, & quæ exhibere poterit, vt in antea gratiora, ipsius supplicationibus, fauorabiliter inclinati, suprascriptum Priuilegium D. Augusti Aui nostri prædicti, huic nostro priuilegio de verbo ad verbum inseri iussimus, omnia quæ continentur in eo, de Imperialis præeminentiæ nostræ gratia confirmantes. Igitur competit, etiam nostro imperiali Imperio, Illustri Principi nostro prædilecto Friderico, speciali gratiâ gratiando. Quapropter concedimus ei, & damus eidem Illustri Principi Duci Austriæ hæc subscripta, ad habendum iure plenario, vt nullus suorum feudalium, aut suarum terrarum inhabitantium, vel possidentium, nulli alteri aliquid iuris obediat, excepto etiam sibimet, ipso nostro prædilecto Friderico Principi Duci Austriæ crucem nostri diadematis, suo principali pileo sufferendam. Volumus etiam, vt dictus Dux Austriæ omnia sua feudalia siuè iura liberaliter suscipiat, datione sine omni. Igitur iura omnia præscripto Illustris Dux Austriæ rite & liberaliter tenere debeat, in omnibus suis terris, quas possidet, & in futurum possidebit. Statuimus igitur & Imperiali sancimus edicto, quatenus nullus Rex, nullus Marchio, nullus Princeps, nullus Comes, nullus Prælatus, nulla denique persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel mundana, contra præsentis innouationis, & conformationis nostrum tenorem venire præsumat. Quod qui præsumpserit, indignationem nostri culminis, & pœnam mille librarum auri se nouerit incurrisse: quarum medietas Cameræ, reliqua vero parti passæ iniuriam applicetur. Ad huius igitur innouationis, & confirmationis nostræ futuram memoriam & robur perpetuo valiturum, præsens priuilegium fieri, & bulla aurea Typario nostræ Maiestatis impressa, iussimus communiri. Huius testes sunt, Conradus Frisingensis Episcopus, Henricus Bambergensis electus, Fridericus filius Illustris Regis Castellæ, Rudolphus Nobilis Comes de Habspurg, Rodomerus Comes de Helffenstein, Albertus de Nifre, & alij quamplures; & cætera signum, &c. Acta sunt hæc Anno Dominicæ incarnationis M. CC. XLV. Mense Iunio, tertia indictione, imperante Domino nostro Friderico gloriosissimo Romanorum Imperatore, semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege, Romani Imperii eius anno vigesimo

ſimo quinto, Regni Hieruſalem viceſimo primo, Regni vero Siciliæ quadrageſimo ſeptimo. Datum Veronæ anno, menſe, & indictione prædictis.

Extat apud Cuſpinianũ, *pag.* 35.

Ad hæc reperi nuper in Epiſtolis Petri de Vineis, qui Friderici II. Imperatoris ab Epiſtolis, fuit, exemplum priuilegii cuiuſdam, quo Ducem Auſtriæ in Regiam extulit dignitatem: quod vt poſteris etiam innoteſcat, ſubieci.

Iohann. Lymn. De jure Publico *lib.* 5. *cap.* 2. *pag.* 33. *vbi Dux Auſtriæ in Regiam efferatur dignitatem.*

In Nomine Sanctæ Et Individvæ Trinitatis, Amen. Fridericus II. diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, Friderico II. Duci Auſtriæ & Stiriæ, ſuo dilecto Principi, & Comiti Carniolæ, gratiam ſuam & omne bonum. *De fulgore throni Cæſarei, velut ex ſole radij, ſic cæteræ prodeunt dignitates vt primæ lucis integritas innominati luminis non ſentiat detrimenta*: tantoque magis Imperiale Sceptrum extollitur, tanto cura regiminis à ſollicitudinibus releuatur, quanto Tribunal ipſius digniores in circuitu circumſpicit conſimiles regiones. Hac igitur conſideratione commoniti, qui cœleſti prouidẽtia Romani Imperii moderamur habenas, ſolii noſtri decus tàm veterum dignitatum ornatibus confouemus, quàm nouis honoribus ampliamus. Tunc igitur, deuotiſſime Princeps noſter, ſupplicationibus fauorabiliter inclinati, nec minus ad exaltationem honoris ſacri Imperii noſtri reſpectum habentes, de infraſcriptorum Principum conſilio, videlicet C. Ratiſponenſis Epiſcopi, & Wormacenſis Epiſcopi, Bambergenſis Epiſcopi electi, P. Brixinenſis electi, A. Abbatis Campidumenſis, C. Abbatis Cluniacenſis, F. Ducis Brabantiæ. R. Ducis Bauariæ, Ducatus Auſtriæ & Stiriæ, cum pertinentiis & terminis ſuis, quot hactenus habuit, ad nomen & honorem regium transferentes, Te hactenus Ducatuum prædictorum Ducem, de poteſtatis Noſtræ plenitudine & magnificentiâ ſpeciali promouemus in Regem, per libertates & iura, prædictum regnum tuum præſentis epigrammatis authoritate donantes, quæ Regiam doceant dignitatem: vt tamen ex honore, quem tibi libenter addimus, nihil honoris & iuris noſtri diadematis aut Imperii ſubtrahatur. Enimverò ſicut hactenus tanquam Dux, Princeps, & fidelis noſter extiteras: ſic in poſterum regio decoratus honore, *Tu & ſucceſſores tui, multum Principes fideles & deuoti* Nobis *& ſuc-*

ceſſoribus

cessoribus nostris, in Imperio aßistatis: nihilq; propterea iuri & honori Imperij in prædictis regno & terris tuis omninò depereat, vel decrescat: Et quæ hactenus habuit, in eisdem, eo specialiter & nominatim expresso, quod successores tui, non per electionem Prælatorum, Ducum, aut quorumlibet Nobilium eligantur in Reges, *sed semper maior natu seu senior ex generatione tua, ex te & successoribus tuis vltimis descendentes, in regno succedant*: nullusque ex eis coronam aut consecrationem in prædicto regno tuo de manu cuiusquam accipiat, sed à Nobis & successoribus nostris tantum, in Curia nostra, vel ab his, qui speciale mandatum à nobis super hoc habeant, coronationis aut consecrationis munus detur pro tempore: Alii verò heredes minores natu, non habeant aliquid, quod ex Regis gratia possint obtinere, illud etiam iuri & honori regio coniungimus, vt si aliquis Comes, Nobilis aut Monasterialis, vel miles de Regno tuo, contra te & successores tuos, & terram tuam forsitan excesserit, vt pro suo excessu castrum vel munitiones suas ab excedente parte, eos vel per nuncios tuos peti contigerit, ipseque negauit assignare ipsum, ex iure Regiæ dignitatis per sententiam Curiæ tuæ, bannire, & forbannire valeas, ipsumq; extra legem facere omnis iuris suffragio, prout est, moris Imperij carere. Cæterum vt *Pacem & iustitiam, quæ sunt regnorum omnium fundamenta*, possis, in prædicto tuo constantius confouere, præsentium tibi authoritate, concedimus, vt si quis in prædicto regno tuo manifestus extiterit malefactor, *tuo videlicet Iusto iudicio aut Curiæ condemnetur.* Cumque aliquis de prædicto regno tuo tenuerit, fouerit, vel defenderit eundem, & requisitus cum tuo iudicio noluerit assignare, eâdem pœnâ puniri debeat receptator, eâdem defensor, quâ malefactor ipse puniri debet, & transgressor. Ad decus præterea Regni tui præsentis priuilegij authoritate permittimus, vt de prouinciâ Carniolæ Ducatum facias immediate tibi subiectum, parte nobis & successoribus nostris & Imperio responsurum: & vt in Ducatu ipso C. cognatum tuum fidelem nostrum, in Ducem valeas promouere, plenam tibi concedimus potestatem, Ad cuius rei memoriam & robur perpetuò valiturum, præsens priuilegium fieri, & Bulla aurea Typario nostræ Maiestatis impressa iussimus communiri. Hoc diploma, vt memoraui, in Epistolis Petri de Vineis extat, qui Secretarius Friderici Imperatoris II. fuit, Vir

Regnum Austriæ, non Electiuum, sed successiuum.

Rex Austriæ immediatè coronam accipit ab Imperatore & Imperio, in Curiâ Imperiali.

Felonia, quomodo committatur contrà Reges Austriæ.

Pax, & Iustitia, omnium Regnorum Fundamenta.

NB. in causa Palatina.

Carniolæ Ducatus

immediatè Regno Austriæ subiectus.

Vir doctus & diligens: sed vt veritatem afferam, in Archivo Principum non vidi, ideò nullus annus salutis hic ponitur: nisi velimus idem esse cum superiore, vbi annus scribitur.

Priuilegia Domus Austriacæ, ex Munsteri Cosmagraph. *lib.* 3. *De German. p.* 940.

ſit, aut prætermiſſæ, aut non quæſitæ ad Pacificandum occaſionis, Principes ipſi teſtes, quos tàm ſæpè, tamque vehementer, nunciis, literis, legatis, monitis, hortatu, precibuſque omnibus, propemodum obſecrauit, vt ſimultates deponerent, ſocietatem cum ipſo & Imperio coirent, vt Chriſtianæ Reipublicæ, in maximum & propinquum iam adductæ diſcrimen Germanis periclitantibus; cæteris omnibus metu, & mœrore afflictis, communibus ſtudiis & ſubſidiis opitularentur, Teſtes ſunt illæ vigiliæ, atque curæ, illi diurni, nocturnique animi ſui labores, graueſque ſollicitudines, quas ob hanc rem, & cauſas plurimas ſuſcepit, Dum Imperialis Clementiæ immenſa Serenitas, pro innata ſua manſuetudine, quam in ſubditis ſuis diſpenſationem fauoris & gratiæ habere conſueuit, quamuis diſtricta ſeueritate exceſſuum delicta debeat, & poſſit corrigere, magis tamen ſtudet, Pacis oliuam ſtringere, propitiâ tranquillitate Pacis, & piis affectibus miſericordiæ Romanum Imperium regere, rebellium inſolentiam, ad debitam fidem, & debitæ deuotionis obſequium reuocare, exaſperatos animos mulcere, viſcera ſibi innatæ pietatis aperire, in plenitudinem gratiæ ſuæ recipere, offenſas omnes & culpas, quibus ipſum ad indignationem prouocauerant, clementiſſimè remittere, quàm diutius gladium ducere, cogitans, quod, *pronius in gratiam redeant perpeſſa Armorum damna*, vtque Pax iſta foret liquidior, Camerina præteritorum malorum moueri non debuit: ſed quod bellorum licentia peccauerat, fido ſilentio ſepeliretur. Hunc animum Pacificum à Traduce ſuo Ferdinando II gloriosiſſimæ recordationis, traxit, qui in ipſis Tabulis Pacis Pragenſis cum Electore Saxoniæ conuentis, diſertè cauit, quod Tranſigentes omnes illos Principes, ac Poteſtates, à quibus vni, vel alteri parti, in nupero Bello auxilia ſubminiſtrata, Tabulis illis comprehendi voluerint: Itaque cum vel ipſe Rex Franciæ, cum confœderato ſuo, quondam GVSTAVO ADOLPHO, Rege Sueciæ, Proteſtantibus Ordinibus, cum Legionibus ſuis auxiliaribus ſuppetias tulerint, vtique nemo queri poteſt, eum excluſum à Pace, ſed fateri oportebit, maximè eſſe incluſum, dummodò, quod ab Anno 1630. occupatum eſt, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue Seculares ſint Principatus, Ditiones, Territoria, Ciuitates, Oppida, Fortalitia, Arces, Loca munita, Portus, flumina, & reliqua belli tempore occupata, ſine dilatione,

dilatione, & mora prioribus possessoribus, aut iis, quibus ex vigore Transactionis Pacificæ, restitui oportet, restituantur. Imò S. Cæsarea Maiestas, post acceptam relationem Saxonicam, ne quid dubitationis remaneat, sed ex re ipsâ palam fiat, quam ea sit ad pacanda omnia procliuis, expresè sic animum suum declarauit, sibi non displicere, vt Regni Suecici Cancellario, S. Cæsareæ Maiestatis, & Imperij nomine caueatur, velle suam Maiestatem, vt sub dispositione, §. In diesem Friedenschluß/ ꝛc. Corona Suecica, cum omnibus Attinentibus sit comprehensa, ac inclusa, ita testatur Serenissimus, Iohannes Elector Saxoniæ, *in literis, datis* in Salinis *Saxonicis*, 5. Martij, Anno 1636. *Ad Christinam designatam Sueciæ Reginam.* Quomodò porrò Modernus Inuictissimus Imperator anhelauerit nuper ad hanc Almam Pacem, & quam charum sibi fuerit dictum S. Scripturæ, *Beati Pedes annunciantium Pacem*, ex subterannexis in fine literis Cæsareis sub N. 1. 2. & 3. fit apodicticum. Et quamuis hæc sua Pacis salutaria consilia, & acta, necdum ad optatum exitum perducta sint, vel, Peccatis nostris impedientibus, quo minus preces apud Deum, nostræ exauditæ, & vota Pacis nostra accepta fuerint, vel quia sunt, qui Actiones hasce Pacis Imperiales notorias, in aliam interpretentur partem, vsq; adeò, quod hactenus spe Pacis deficiente, ille quoque modus curandæ, in diuersis, Norinbergæ, Ratisbonæ, Viennæ, Coloniæ, Hamburgi, &c. tractandæque concordiæ institutis cõuentibus tentatus, ad maiores potius discordias concitandas aptus videretur, dum ficto & picto iure, quæsitis subterfugiis, fabricis, & mantelis longius extrahitur spes sanandæ aliqua in parte Christianæ Reipublicæ, quæ tot detrimentis, & calamitatibus affecta est, videmus tempora, agnoscimus difficultates, quid sperari possit, ex consiliis illis Pacis optimè cogitatis, pessimè indies cadentibus? Quod quidem dolendum, sed tamen & in hoc dolore Serenissimus & Sincerissimus Imperator Noster gratias omnipotenti Deo agit, * qui ad exemplum, & doctrinam patientiæ suæ, suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine JESV, qui Pax Nostra est, contumeliam paterentur, quem tamen non desperat, aliquando optata nostra benignius respecturũ, potius cõfidit in præsenti Dieta, Francofurtunâ, Pacem Populo Christiano, & Christianæ Religionis integritatem tandem posse recuperari. Ità enim, ait, Sacra

* *Actor.* 5. *Ephes.* 2.

Scriptura, *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet,* sæpè enim fit in bonis operibus incipiendis, vt quod humana consilia non valent, diuina virtus efficiat, Quam voluntatem Principum dum expectamus, dum obseruamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui. O Deus! Aliquando tandem decernere compellemur, Omne esse tempus, & beneplacitum Deo, cum de rebus Sanctis, & ad Christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur, Oramus igitur denique, vt quia Fidei veritas & Religio, & intus, & extrà grauiter oppugnatur, vt si Reges & Principes Europæ, saluam volunt esse Christianam Rempublicam, si se Domino obstrictos, & obligatos, pro maximis illius ergà se beneficiis intelligunt, ne deserant Dei causam, & negotiũ, in instantibus Comitiis: hæc ipsorũ pietas atq; virtus communi vtilitati, salutique suæ ac cæterorum & temporali, & æternæ plurimum est pro futura, Non grauentur ipsi, sua cunctorum præsentiâ, id celebrare, & ornare, quo melius, atque commodius, quæ ad integritatem, & veritatem Christianæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Christianorum inter se, tàm Principum, quàm Populorum Pacem, Vnitatem, concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum, infidelium, & hæreticorum, quibus illi vniuersam Christianitatẽ obruere moliuntur, sint necessaria, Deo Nostris consultationibus præeunte, & lũmẽ sapiẽtiæ suæ, ac veritatis mentibus Nostris præferente, seriò curent agi in dicto Cõuentu Francofurtano, vel alio publicâ authoritate constituto, & conspirante omniũ charitate, consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci, quam primum, & quàm optimè possint, vt propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, IESV CHRISTO, qui vera est lux, *annuente*, Candor, puritasque refulgeat, & ea, quæ reformatione egent, reformentur, sedulâ meditatione diligenter secum cogitare, quibus potissimum viis & modis, *Tractatus ille PACIS vniuersalis,* eiusque intentio, dirigi, optatumque effectum sortiri possit, quo maturiùs, & consultius damnari damnanda, & probanda probari queant.

SVDO-

SVDORES BELLICI,

Fortißimi & Inuictissimi Imperatoris Nostri, FERDINANDI *III. Obiter duntaxat, pro hac vice attacti.*

IN *Gabrielis Simeonis* Symbolis, depingitur *Iulius Cæsar*, ſtans in globo terreſtri, in dextrâ manu tenens gladium, in ſiniſtrâ, Librum, cum hac inſcriptione: EX VTROQVE CÆSAR, Summa quippe Reipublicę tuitio, de ſtirpe duarum rerum, armorum ſcilicet, atq; legum veniens, vimque ſuam exinde muniens, felix Romanorum genus, omnibus anteponi nationibus, omnibuſque gentibus dominari, tàm præteritis fecit temporibus, quàm, Deo propitio, in æternum efficiet. Iſtorum etenim alterum, alterius auxilio ſemper eguit; & tam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quam ipſæ Leges Armorum Præſidio ſeruatæ ſunt. Spes enim nunquam maior affulget PACIS, quàm cum BELLVM ſeriò geritur, Meritò, igitur, ad primam communium rerum ſuſtentationem, Imperialem ſententiam & mentem laboreſque ſuos referens, Militaria quidem Agmina Imperialia multiplicibus, & omnem prouidentiam continentibus modis correxit, & tàm veteribus ad meliorem ſtatum breui tempore ductis, quàm nouis non ſolum exquiſitis, ſed etiam recta diſpoſitione Imperialis Nominis, ſine nouis expenſis publicis conſtitutis, primò ſeruando poſita, deinde noua ponendo firmiſſima ſubiectis effecit. Genus, ætas, forma, authoritas, fortuna, Religio, virtus: omnia in hunc Imperatorem bona cœleſti prouidentia delapſa, Genus Paternum *Auſtria* (quam gentem nonnulli ab Hercule, alij à Priamis, imò non incelebris vir quidam. Hieron. Gebvveiler, *in Genealog. Auſtriaca*, ex Arcâ Noe, & Monte Auentino deduxerunt. Alij à Romanis, alij à Francis Alemannis.) Maternum Bauaria, (quam familiam conditam ferunt, ab Alemanno Hercule, vndecimo Rege Germaniæ, quem maiores cœleſti nomenclaturæ adſcripſerunt, belloque præfecerunt, & primum omnium virorum fortium ituri in prælia cecinerunt.) Imperatorum ſeminaria,

L. 1. C. De Iuſtin. Codice confirmando.

Catholicæ Religionis hoſpitia, Fortiſſimorum Ducum domicilia, Principum ſedes, cuius cognationes, affinitateſque, Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ dominatores, ſanguine atque affinitate contingunt, amicitiam, ad conſeruanda & ſtabilienda Imperia plurimum conducentem potentiſſimi totius orbis Chriſtiani Reges & Principes, tàm Eccleſiaſtici, quam ſeculares cum Auſtriacorum, Boiorumque gentibus affectant: Ea erat tempore Electionis & eſt ætate, quæ ad conſilia, & auxilia, ferenda ſit aptiſſima; Ea totius corporis ſpecie heroica, quæ Principem procul oſtentat, quam improbi verentur, amant boni, ex qua quis animi bonitatem facillimè poſſit ſpeculari. In hoc pulcherrimo domicilio recta fides, virgineus pudor; cœleſtis mãſuetudo, inuicta conſtantis animi, aduerſus voluptates omnes contumacia, indictum vitiis bellum, & ſumma ſemper petentis inuicti ſpiritus ſublimitas: in hoc fortitudo, iuſtitia, prudentia, totuſque virtutum chorus ſedem ſibi fixerunt immobilem: Si denique fortunam quis ſpectaret, cum alii Imperium ſibi cæde, ac ſanguine aſſerere, ferro tueri, periculo ac ſcelere ſoleant propagare: hic in ampliſſimis Regnis, iiſque incorporatis Prouinciis hereditariis natus eſt, & erat, Diis, (vt aiunt) hominibuſque plaudentibus, ad maiora adſciſcebatur: adeò nihil in eius felicitate cruentum, nihil emptum erat, cuiuſquam malo. Hæc omnium hominum ipſi animos conciliabant, hæc in eo omnes admirabantur, venerabantur, prædicabant. Ob hæc omnium Imperij colarum, in eligendum FERDINANDVM III. Auſtriacum voces, ac vota ferebantur. Tali omninò, Heroe opus erat, vt Imperium Romanum, quod tempore Electionis ſuæ, tanquàm cadauer iacebat, ſurgeret, factionibus ſciſſum, cum aliena quiſque inuaderet; vulneribus ſaucium, cum ſua ſinguli malè regerent, Sanè niſi hic Heros in turbida & deſperata Germaniæ hæc tempora diuinitus datus fuiſſet, Religio aut Imperium in Germaniâ vix fuiſſet: cum certamen certaretur, pene dicam cum Europa, ille diuinitus miſſus, venit in medium diſcrimen, furentibus ſe oppoſuit: haſtam in manus ſumpſit, in bellum profectus, fræna licentiæ dedit, lingua, mente, gladio, cum opus fuit, pugnauit. Fecit, quod nec hoſtes ſuſpicari, nec nos ſperare, imò vix nunc credere poſſumus, cum eſt factum; quando vt primum venit, inuitis ac diſſuadentibus omnibus; auſus non audenda, fecit non facienda;

humano

humano quidem iudicio, diuino autem consilio, inuia quæque inuasit, peruasit, inter alia Ratisbonam veterem Vrbem, ac dignam, in qua omnes neruos belli contenderet, obsedit & vicit, Decretoriam indè pugnam pugnaturus in Sueuiam mouit, & vere Magnus, cum Magno Numine participans, Anno 1634. in die MAGNI, sane magno, inuersi Augusti, & DEI, GVSTAVI SVED ante amissi reliquias, prope Nordlingam penitus deleuit & fugauit, ipso Cornu (Generali Horn) copiarum in potestatem redacto, Europæ iura, infidelibus, & Hæreticis formidinem, Germaniæ pacem, templis sanctitatem, & sanctitati Templa reddidit. Tanto facinore patrato, Trophæa æternæ gloriæ suæ ibidem sibi erexit, nobis hunc versum expressit, quem Cæsar Augustus pro Imperio fecit.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Eum annum insignem fecit, & prodigioso beneficio Romanum Imperium, sibi suisque in perpetuum deuinxit, vt fando verum possis audire Germania, *Auream te fecit illa luce* FERDINANDVS III. *quàm ferream, aut, cum Octauio Cæsare Augusto, marmoream, quam Lateritiam accepit.* Obligatam proinde Te sentis Germania, nec aliud conseruandæ incolumitatis tuæ consilium vides, dùm vndique hoc tempore imminent pericula, quam si Imperij authoritatem & Cæsaream Aquilam in Austriacorum familiâ de Te tam benè meritâ relinquas. Quid enim debuit Vineæ suæ facere? quod non fecit? Sanè in ipsum quadrat sequens Carmen.

Imperium AVSTRIACVS FERNANDVS, sanguine, Cæsar,
Associat proprio, proprio quoque sanguine seruat.

Hinc notanda veniunt sequentia Anagrammata varia, Super Nominibus Imperatoris, & Archiducis, LEOPOLDI GVILIELMI.

1. FERDINANDUS.

1. *FIDVSN' ANDER?*
2. *DVRA FINDENS.*
3. *Dira FVNDENS.*
4. *Ardens FVNDI.*

5. RI-

*Alter Dauid.

5. RIDENS FVNDA.*
6. DANS VNDIFER.
7. Infer Dandus.
8. Funde Nardis.
9. Finde NARDVS.
10. Durans FINDE.

2. ERNESTUS.

1. ES TERNVS.
2. RES TVENS.

3. AUSTRIACUS.

1. Ais, ACTVRVS.
2. Cautus iras.
3. Catus aruis.
4. Virus actas,
5. Iura Suctas,
6. Castus Auri,
7. Acutus Aris,
8. Tacuis Vrsa,
9. Aua (seu Abba) C(h)ristus
10 Vatis Arcus
11. Vitas Curas.
12. Iusta Curas.
13. St' Auriacus.
14. Acus AVSTRI.

4. LEOPOLDUS.*

*Natus Anno 1614.

*Aquilinos.

1. Δὲς. polleo,
2. Pello Duos,
3. Lędo Lupos
4. Vllos Pedo,
5. Pol, sedulò,
6. Delos pluo,
7. Polus Delo
8. Edo Pullos*
9. Pullo, Deos,
10. Plus do, Leo.

5. GUILIELMUS.

1. Lemus Vigil,
2. Sigillum ve,

Ad Diuum, Sacratissimum, Inuictissimum, & Augustissimum pariter, ac Gloriosissimum, FERDINANDVM III. *Imperatorem Ter. Opt. Maximum, Epigramma votiuum.*

AVSTRIA *Magnanimûm sublimibus alta columnis:*
Cui non Augusti regio, non inclyta stirpis,

Iactat

Iactat origo parem sortem; fœlicibus alis.
Et nec Alexander Macedo; nec Montiger Atlas,
Laudibus Austriadûm, & terræ luctabitur almæ
Thurigeri, nec Panchæi, nec Bactra, nec Afri:
Hic blandæ fruges: hic Bacchi vinifer humor:
Hic Cataphractus equus, campo se feruidus infert,
Insultatq; solo. egregio stat corpore taurus.
Adde tot eximias vrbes, Martisq; potentes:
Non Alpes sic aëreæ, non Norica castra,
Tot constrata manu, præcisis Oppida saxis:
Totq; susurrantes fluuios per mœnia prisca,
Hæc eadem argento scatet, auro turbida manat
Et stanno, & simul ac ferro, riget ære, metallis,
Hic genus acre virûm: sunt hic & fortia bello
Pectora. sunt animi & rebus spectata iuuentus,
Extulit Heroes, tellus eadem Austria, & ipsum,
Mox FERDINANDVM *Regem, Regumq; parentem.*
Hinc satus est QVINTVS *diuinis* CAROLVS *armis:*
Et reliqui proceres: nec non, ô Maxime Cæsar,
Hungariæ, qui nunc extremis Victor in oris,
Lunigerum auertis Germanis arcibus hostem:
Vnde & FERNANDVS *genus alto è sanguine diuûm,*
Extulit Austriadûm, ad veteris monumenta Columnæ:
Hinc fœlix vterus, præsaga cubilia, & vna
Inclita diuino peperit, cum Cæsare, mater.
Salue ô summe Ducum, Sol & iubar Europæum,
Salue ô Hungariæ, & stirpis spes sola RVDOLPHI,
Magnanimi, Augusti semper, Regumq; parentis.
Qui Imperium terris, animos æquauit olympo
Hinc non sors ambit verum te Viuida bello,
Dextera, & austero velat sub robore virtus;
Diua Aquila, vt penetrat facies Hyperionis ignei,
Quando præstanti raptauit pondere olorem
Nube caua spolians, penitusq; in sidera vergens:
Sic multum magis excellens supereminet omnes:

Et

Et latè regalem oculis dispergit honorem,
Sidereis, decorans ZARINGIA *mœnia lege,*
Remigio alarum obtelans fœlicis oliuæ
Fœlix FERNANDVS. *viget Augustusq; vigebit,*
AFRORVM *domitor, quum celsis* CAROLVS *ausis,*
Et FERDINANDVS *iam iam sub sidera vergunt,*
Illius nomen Gangem, infidumq; Bootem,
Transnabit, Coos remeans, iacet ignea tellus,
ARABIÆ *ad littus rubrum nigrantis alumni.*
Præmia sunt cunctis Patriam qui auxêre verendam:
Et placida sub Pace suas rexêre cohortes,
Hos imitaris auos, illorum semper imago,
Ante oculos, & iura Deûm, & tormenta Gigantum:
In tantum & spe tollis, auos; neq; vt Austria quondam,
Vllo se tantum tellus iactabit alumno
Hem pietas! hem sancta fides, & brachia bello!
Quantum se clarant, condes simul aurea tandem
Sæcula, mox fama supra Garamantas & Ætnam:
Aereæ insurges Aquilæ, residesq;, mouebis
Summus in arma viros, patriæ, Vesanaq; rumpes
Ocia, prosternens Turcam, rostrumq; Bootis.
Terrificûm, vt quondam sonuerunt omina vatum.
I, fœlix fastos & rerum iura capesse,
I, decus i, nostrum grauioribus, vtere, fatis,
Auspicibus Diuis, sic te fortuna moretur
Aurea. Sic æuum sub te mitescet & aureûm.

Aliud Epigramma in Persona FERDINANDI III. Cæsaris.

TErtius Ille ego sum FERNANDVS, *nomine Cæsar,*
Natus ad Imperium, Romana vt sceptra tenerem.
Est animus, fessas, mutasq; reponere Leges.
Iura Tribunorum, fasces, priscosq; Quirites
Patritios reuocare viros, sanctumq; Senatum,

Reddere

Reddere primæuo, Capitolia prisca nitori,
Oppressos releuare manu, frenare superbos,
Consiliis armisq; meis, iurisq; vetusti
Legibus, & veterum seruato tramite morum,
Omnia in antiquam correcta reducere PACEM.

ALIUD.

Roma, tuus sileat Cæsar, sileantq; triumphi
Et, quæ testantur pegmata, Facta Ducum.
En quid miramur Grajos? iuuenemque potentem
Quem meritò, Magnum, secula prisca canunt?
Maius inest terris Numen, maiorq; triumphus,
Maius & Imperium, gloria, Fama, Decus.
Diis genitus, pietate nitens, iuuenilibus annis,
FERNANDVS, *bello clarior, atq; togâ*
Arma mouet Gallis, quoq; SVECICA *corda retundit,*
Trux tua nil trepidans, HASSIA, *tela, ferox.*
*Eridanus * croceo decurrit sanguine, Tybris* *Padus.
Illachrymat, Rhodanum tristior vnda premit.
Vos etiam Ligures, & Punica littora, testes
Hunc, nocuit serò quàm! Coluisse Deum.
Nec modo Christicolas, verum Garamantes & Indos,
Arctoosq; simul continet, vrget, habet.
Ergo age qui solus, qui victor in Orbe triumphas,
CÆSAR, *subiectis parce, superba domans.*
Nil DEUS *hoc terris donauit Cæsare maius,*
Auspiciis cuiûs stat decus Imperij.
Ergo Aquilam hanc, totum, victricia signa, per Orbem,
Tu placidus foueas, qui Regis Imperium.
Tu quoq; da, nostro felicia sceptra, Monarcha,
Et Vires animis grandibus adde pares,
Imperio, vt redimat meritis, sua membra, triumphis,
Et sub eo semper floreat Imperium.

Sancta, vocant, Augusta, Patres, augusta vocamus
Templa Sacerdotum, ritè sacrata, manu:
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunque sua Iuppiter auget ope.
Astra Deo nil maius habent, nil Cæsare terra:
Sic Cæsar terras, vt Deus, astra, regat.

Beylage / Sub N. 1.

LITERÆ

Siue

DECLARATIO

S. CÆSAREÆ MAIESTATIS,

AD

REGEM DANIÆ

SVPER TRACTATV,

Præliminarium Hamburgi *concluso, prout latinè conceptæ prodierunt è Cancellariâ Viennensi, Primâ Febr.* 1642.

FERDINANDVS III. Serenissimo Daniæ Regi &c. Vtrasq; Dilectionis Vestræ 19. Nouemb. & 24. Decembris anni proxime elapsi datas literas recte accepimus, atque ex ijsdem pariter atque ex appositis scripturis liquidius intelleximus, quantũ, ac quousque in compositione Præliminarium ad instantem congressum vniuersalem adhibita apud Galllicos simul & Suecicos Hamburgi commorantes Ministros Dilectionis Vestræ operatio profecerit, inprimis verò, quemadmodum apud Nos Titulum Tutricis ac Regentis pro Ducissa Sabaudiæ se obtenturam, Legato Gallico quasi in antecessum expromittere sit coacta; Nos proindè amanter atque enixè requirendo, ne datam in hac expromissione fidem suam destitui, simulque præsentis aperturæ occasionem denuò elabi, negotiumque, hoc incassum ac nihilum recidere patiamur. Tametsi igitur neutiquam dubitemus quin noster tum Hamburgi cõmorans Consiliarius Imperialis Aulicus Conradus à Lutzavv, iuxta præscriptum ac tenorem Cæsarei nostri ad ipsum XIX. Decemb. expediti mandati ad Dilectionem Vestram pluribus retulerit, quibus & quam grauibus ducti rationibus petitũm Titulum

tulum Duciſſæ Sabaudiæ hactenus cenſuerimus denegandum, & Dilectio Veſtra quoque intellexerit, hocce ad Tractatus principales non vero ad Præliminaria ſpectans negotium, non eſſe idoneam neq;, ſufficientem cauſam, cur Franciæ Rex à congreſſu illo ſeſe potuerit aut debuerit abſtinere: tum Dilectionis Veſtræ ſatis notum eſt, quot & quam diuerſis aduerſæ partis petitionibus iam ante detulerimus, neque tamen ille ab omnibus deſideratus Congreſſus, poſt tot tantaſque à ſummæ authoritatis interpoſitoribus factas ſincerationes, à parte aduerſa ad optatum fuerit promotus effectũ: Vt vt autem ſit, amicam atque enixam Dilectionis Veſtræ requiſitionem beneuole accipimus, in primis vero in facta ex promiſſione, vel hoc conſideramus, quod Dilectio Veſtra petitum Saluum Conductum eum in modum deſideret, vti ambobus Sabaudiæ Principibus ratione Tutelæ à Nobis ipſis commiſſæ neutiquam fraudi, præiudicione ſit. Ac proinde Nos erga Dilectionem Veſtram ita declaramus, quod dictum Saluum Conductum pro Duciſſa Sabaudiæ eo plane modo, quo Dilectio Veſtra à Nobis poſtulauit, ſub die hodierna Comiti ab Auersberg tranſmittimus, illique ſimul clementer præcipimus, vt eundem penes ſe retineat, neq; ante extradat, donec omnia in præliminaribus ſint tranſacta & compoſita, & vniuerſum negotium à ſola extraditione huius Salui Conductus pendeat, verumtamen excipimus & reſeruamus nobis hic expreſſe, quod quando tandem ad realem extraditionem fuerit peruentum, quod huius Tituli in his duntaxat Saluis Conductibus facta conceſſio prædictis Sabaudiæ Principibus in iuribus ipſorũ realique poſſeſſione concreditæ, per nos, ipſis & de iure commiſſæ Tutelæ ne vel minimum quidem præiudicium creari, ſed ad almam ſaltem pacem prouehendam, liberandamque Dilectionis Veſtræ hac in parte datam Regiam fidem, hac tantum vice conceſſum intelligi velimus. Ad reliqua omnia quæ à Conſiliario noſtro Imperiali Aulico, mediante Dilectionis Veſtræ Conſiliario Dn. Langermanno cùm Gallicis Suecicisque miniſtris acta ſunt, & partim ex noſtra, partim etiam aliorum Intereſſatorum ratificatione atque vlteriori reſolutione pendent, exinde ſingulari cùm grati animi affectu agnoſcimus indefeſſum & conſtans Dilectionis Veſtræ ſtudium, quod hactenus promouendo congreſſui illi ſedulo atque indeſinenter impendit. Id

Dilectioni Vestræ merito sempiternam nominis sui gloriam conciliabit. Et licet neque dum (quod Nobis quidem liqueat) vlla istiusmodi legitimatio ad tractandum cum Cæsareis nostris Ministris, à Gallico Legato fuerit exhibita, atque ipsemet fassus sit, id quod hac vice hac in re actum est, absque mandato actum esse, nihilominus tam pro nostra, quam Serenissimi Hispaniarum Regis parte, inprimis in duarum ad dictos Tractatus vrbium Monasterij nimirum & Osnabrugæ electione conquiescimus. Nec secius acceptamus & consentimus vt statim post traditos hinc inde Saluos Conductus præsidia moderna, quæ Ciuitatis disciplinæ non sunt obnoxia, educantur, & quamdiu Tractatus in vna alteraque vrbe durauerint, tamdiu earundem custodia ac defensio ipsismet Ciuibus atque incolis concredatur. Volumus etiam vt Ciuitas Osnabrugensis durantibus hisce Tractatibus priuilegiis suis gaudeat, in eorumque fruitione manuteneatur, ac conseruetur, nec Magistratus in præsenti tam Ecclesiarum quam Scholarum dictæ ciuitatis constitutione vlla ratione perturbetur. Demum etiam licet Salui Conductus nostri Cæsarei tam loco ad Tractatus assignato, quam etiam personis quibus ij sunt concessi omnem sufficientem præstent securitatem, ex superabundanti tamen charissimi fratris nostri Dilectioni & omnibus sub ipsius ductu militantibus gratiose ordinatum volumus, quemadmodum sub dato hodierno ordinamus atque inhibemus, ne durantibus hisce Tractatibus, aduersus Ciuitates Osnabrugensem & Petersburgensem ab eo quo nostri, tum interpositorum, & aliorum Regum ac Principum Legati, Osnabrugam intrauerint, quicquam infestum aut hostile, consilio aut facto (quocumque tandem nomine id vocari possit) suscipere aut attentare ausint. Idem Dilectioni Vestræ tum de Serenissimi Hispaniæ Regis Catholici armis (quoad hostes quoque ipsius id veniant quæsitum) quam duorum Bauariæ & Saxoniæ Eelectorum, concreditis Imperialibus copijs promittimus & asseueramus, certo confisi partem quoque aduersam vicissim similiter stipulaturam, neque Dilectionem Vestram hoc nomine idoneam ab ipsis fidem & sufficientem securitatem accipere recusaturam, sibique necessaria ad hoc mandata militaria ad manus suas tradenda curaturam, quemadmodum nos nostra, talem in euentum Dilectioni Vestræ transmittenda tradendaque cu-

rare

rare non detractamus. Et cum iam de omnibus quoad promouendum necessariam hinc inde correspondentiam, reciprocam literarum transmissionem, cursorum & nunciorum expeditionem, & cætera hisce annexa pertinent, iam in accordatis ex vtraque parte Saluis Conductibus optime prouisum sit, in eo lubentes penitus conquiescimus certa freti spe, vt quemadmodum ex hac parte fiet, ita etiam ex altera quicquid ita factum conuentumque est rite adimpleatur. Quod si vero præter omnem spem atque expectationem congressus & Tractatus isti absque conclusa desideratissima Pace dissoluantur, Volumus nihilominus, vt intra proximas hebdomadas, contra Osnabrugam & Petersburgum nihil hostile attentetur, vel Suecica Corona impediatur, quominus præsidium suum illuc introducat, dummodo idem respectu Ciuitatis Monasteriensis obseruetur. Ad diem quod attinet, quo cùm reciproca Saluorum Conductuum extraditio fieri, tum congressus ille vniuersalis initium suum re ipsa sumere debeat, Nobis & Serenissimo Hispaniæ Regi Catholico etiamnum eo erit gratius, quo maturius is constituetur, & congressus ille realem suum sortietur effectum & iam pridem nostris ad hoc Deputatis Plenipotentiariis, vti in procinctu sint benigne iniunximus, præstolabundi, quod & Gallicus Hamburgi commorans Minister petitos ex nostra parte Saluos Conductus in debita forma tandem ad manus Dilectionis Vestræ traditurus sit, prout etiam priuato Legato nostro Comiti Auersberg idonea dedimus mandata quò Tractatibus hisce inchoandis dies Saluis Conductibus inseratur adeoque Cæsarei nostri Salui Conductus perfecti & absoluti Dilectioni Vestræ tradantur. Quin etiam vt loco fratrum Palatinorum, Ducum Brunsvicensium, cognatorum ac fratrum, & Landgrauiæ Hassiæ Cassellensis, Domus Palatina, Brunsvicensis & Luneburgensis, vti & Hassiæ Cassellensis in Saluis Conductibus perscribatur similiter consensimus, atque ita de integro, expeditos Saluos Conductus sæpe dicto Comiti Auersberg transmisimus. Super vnico duntaxat loco quo inter Monasterium & Osnabrugam ad promouendos Tractatus, necessariaque inter legatos instituenda colloquia & conferentias oportunus & omnibus partibus gratus esse possit. Declaramus nos ac resoluimus, quod quicquid per nostros Cæsareos, atque alios Regios Monasterij & Osnabrugæ tum futuros Le-

gatos, ea ſuper re determinabitur, id ratum firmumque erit, prout ad Tractationem illam Legatus noſter ſatis comparebit inſtructus. Quoad illud autem quod inter Conſiliarium noſtrum Imperialem Aulicum & Gallicos Suecicoſque Miniſtros agitatum eſt, vt nimirum ad lucrandum tempus omnia quæ in congreſſu hoc vniuerſali reciprocè extradere neceſſum eſt, Hamburgum deferri atque ibi per Dilectionis Veſtræ Deputatos eorundem extraditio fieri debeat, nos quidem iam olim omnes eos Saluos Conductus quos noſtris ad Colonienſes Tractatus deputatis Legatis tranſmiſeramus, noſtro itidem Hamburgi commoranti Conſiliario Imperiali Aulico eum in finem tranſmiſimus (quemadmodum eoſdem ibi in prototypis reperire eſt,) ſi res ita poſtulauerit etiam illic extraderentur, ſed illos tamen ſub dato etiam hodierno Legato noſtro Cæſareo denuò mittimus & adhibebitur debitis locis curatio neceſſaria, vt & ij Salui Conductus, qui à Sereniſſimo Cardinali Infante Hiſpaniarum fœlicis recordationis, Oratori Veneto Lutetiam tranſmiſſi, in eiuſdem adhuc verſantur manibus, Hamburgum quoque remittantur. Ad Sereniſſimum etiam Hiſpaniarum Regem ſuper Confirmatione omnium à prædicto Sereniſſimo Cardinali Infante datorum Saluorum Conductuum primo quoque tempore ſcribemus, nihil ominus ſperantes, quod ne propterea donec inde veniat reſponſum, dicti Tractatus non inchoentur. Quicquid vero in illa, à Dilectione Veſtra nobis tranſmiſſa, inter Conſiliarium noſtrum Imperialem Aulicum & Gallicos Suecicoſque Miniſtros agitata, & ad noſtram benignam ratificationem concluſa tranſactione, ſupremæ noſtræ & Sacri Imperij authoritati repugnans comprehenditur, huic neutiquam aſſentimur neque approbamus: Dilectionem Veſtram amicè ac ſtudioſe requirentes, vt iuxta hanc noſtram Declarationem partem quoque aduerſam eò velit diſponere ac permouere, quò & ipſa congreſſum ſincerè abſque vlla fraude & captione ſuſcipiat inchoandum ac promouendum, quem in finem ſæpe dicto Legato noſtro Comiti Auersberg benigne mandauimus, vt ſi ita Dilectioni Veſtræ placitum fuerit, eiuſdem Deputatis vlteriorem ſuper omnibus proponat explanationem coniunctaque opera ac ſtudio eò incumbant, vt ab omnib⁹ optatæ illius Pacis tranſactioni exordium re ipſa ponatur. Inſuper Dilectioni Veſtræ pro fœlicis & pacati

cati anni precatione, condignas merito agimus gratias, vouemusque vicissim, vt Dilectionis Vestræ laudanda sollicitudo ac cura, desideratum ab eadem atque aliis omnibus scopum consequatur, atque ipsa vnà nobiscum Sacri Romani Imperij Patriæ nostræ charissimæ, tùm Regnorum ac Prouinciarum suarum, atque vniuersæ Reipublicæ Christianæ constituta Pace, adeoque impensæ suæ laudabilis operæ fructu, in plurimos consequentes annos prolixissimè gaudeat: De cætero eidem Dilectioni Vestræ constantem sinceræ beneuolentiæ & amicitiæ affectum cumulare offerentes.

Beylage / N. 2:

TRACTATUS

DE PRÆLIMINARIBVS PACIS Vniuersalis.

SAcræ Cæsareæ Maiestatis & Imperij Aulici Consiliarius ad Circulum inferioris Saxoniæ, & ad Pacis Præliminaria cum potestate deputatus Legatus, Conradus à Lutzovv, &c. Vniuersis & singulis, quorum interest, constare volumus; postquam multis retrò annis agitari cœperunt rationes instituendæ de Pace vniuersali tractationis, atque aliæ ex aliis difficultates in Præliminaribus emerserunt, tandem Deo adspirante & Serenissimi Regi Daniæ tanquam Mediatoris interposita autoritate factum esse, vt inter nos, pro sua dicta Cæsarea Maiestate & Rege Hispaniarum ex vna, & Illustrissimum & Excellentissimum Legatum Dominum Claudium de Mesmes Comitem de Avaux pro Rege Christianissimo ex altera parte, dicta Præliminaria conclusa sint sequentē in modum. Loca vniuersalis Tractatus sint Monasterium & Osnabruga in Westphalia, ex quorum vtroque statim post commutatos (vt infra dicetur) Saluos Conductus, educantur militaria partium præsidia, & durantibus congressibus dictæ Ciuitates Sacramento erga vtramque partem solutæ ad neutralitatem obligentur. Magistratui interim proprio cum milite & Ciuibus sua cuiuscunque Vrbis custodia relinquatur. Ipse vicissim dato reuersali obstringatur ad fidelitatem & securitatem toti conuentui præstandam, & tractantium res ac personas, Comitatumque sanctè habendum & custodiendum;

diendum; & si quid ab eo pro communi tractatus bono requisitum fuerit, præstet se quidem obsequentem, neutrius tamen partis iussa exequatur nisi ab vtroque Legatorum corpore collegiatim insinuata. Vterque congressus pro vno habeatur, atque ideo non solum itinera inter Monasterium & Osnabrugam, omnibus quorum interest vltro citroque libere secureque commeari posse, tuta sunto: Sed & quicunque interiectus locus particulari tractantium conuentui pro mutua communicatione commodus visus fuerit, eâdem qua dictæ vrbes securitate fruatur. Si vero, quod Deus auertat, Tractatus vniuersalis re infecta dissoluetur, recipiant Monasterium & Osnabruga statum & præsidia quæ nunc habent omni ex parte, at sancte religioseque seruetur neutralitas ad sex hebdomadas post abruptum Tractatum. Salui Conductus ad Monasteriensem congressum infra enumerati commutentur vtrinque omnes intra menses duos, à die huius conuentionis; & ne diuersis dissitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium, ac nouas adferat moras, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Ministros. Et quidem ex vna parte tam Imperator quam Rex Hispaniæ tradant sequentes Saluos Conductus quisque suos. Pro plenipotentiarijs Regis Christianissimi. Pro Residente Suecico. Pro plenipotentiarijs Serenissimæ Ducissæ Sabaudiæ. Pro plenipotentiariis ordinum Generalium Fœderati Belgij. Pro Deputatis Electoris Treuirensis. Pro Principe Carolo Ludouico Comite Palatino Rheni, eiusque Fratribus aut eorum Deputatis. Pro Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus aut eorum Deputatis. Pro Illustrisimæ Principis Amaliæ Elizabethæ Landgrauij Hassiæ Viduæ Deputatis. Pro vniuersis Imperij Ordinibus, Galliæ Fœderatis & adhærentibus in genere aut eorum Deputatis. Ex altera parte per dictos Daniæ Ministros dictoque loco & tempore tradantur ad eundem congressum Monasteriensem Christianissimi Regis Salui Conductus. Pro plenipotentiariis Imperatoris. Pro plenipotentiariis Regis Hispaniæ. Pro vtriusque Fœderatis & adhærentibus in genere, aut eorum Deputatis. Pro Deputatis Electoris Coloniensis. Pro Deputatis Electoris Bauariæ. Salui Conductus Cæsarei & Hispanici pro plenipotentiariis Ducissæ Sabaudiæ, sub ea forma concepti tradantur, quæ in exemplari apud Serenissimum Daniæ Regem deposito,

ſito, expreſſa eſt, addito tantum titulo TVTRICIS Filij ſui Sabaudiæ Ducis, & eius ſtatuum REGENTIS. Cæteri omnes & ſinguli tam ex parte Imperatoris & Hiſpaniæ, quam ex parte Galliæ, ſub ea formula, quæ nouiſſimè per Mediatorum Legatos communicata partibus & ab illis probata fuit. Quo facilius ex parte Hiſpaniæ Saluorum Conductuum commutatio procedat, valeant, qui ante hac à viuente Sereniſſimo Cardinali Infante in forma ſupradicta expediti fuerunt, ſi à Rege Catholico confirmentur & ratihabeantur. Singulis Saluis Conductibus dicta Tractatus vniuerſalis loca dieſque ex præſcripto ſequentis articuli inferantur, & præſentis Tractatus autographum, data ſinguli Legatis copia authentica, apud Sereniſſimum Daniæ Regem deponatur. Dies autem auſpicando vtrique congreſſui Monaſterienſi nimirum & Oſnabrugenſi dicta, conſtitutaque eſto, vigeſima quinta menſis Martij proxime venturi: Quod fœlix fauſtumque Orbi Chriſtiano det eſſe DEVS. Præſens Tractatus cum altero ſuper ijſdem Pacis vniuerſalis Præliminaribus hodierna quoque die concluſo inter Nos Conradum à Lutzovv, pro Sereniſſimo Imperatore ex vnâ, & Illuſtriſſimum Legatum, Dominum Ioannem Saluium, pro Sereniſſima Regina Sueciæ ex altera parte, vnus idemque ſit Tractatus, nec niſi adimpletis vtriuſque conditionibus, alteruter pro impleto habeatur. Ita quorum omnium fidem præſentes manibus noſtris ſignatas, Sigillis quoque mutuis firmauimus, earundem ratihabitionem à Principalibus vtrinque noſtris factam, vna cum dictis Saluis Conductibus, ſtatuto tempore ac loco inſinuandam promittentes. Actum Hamburgi die 25. (15.) Decembris, Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo quadrageſimo primo.

(L.S.)

CONRADUS à LUTZOUW.

N. 3. Beylage.

SAcræ Cæſareæ Maieſtatis & Imperij Aulico Conſiliarius ad circulum inferioris Saxoniæ, & ad Pacis Præliminaria cum poteſtate Deputatus Legatus, Conradus à Lutzouvv, &c. vniuerſis & ſingulis quo-

rum intereſt, conſtare volumus, poſtquam multis retro annis agitari cœperunt rationes inſtituendæ de Pace vniuerſali tractationis, atque aliæ ex aliis difficultates, in præliminaribus emerſerunt, tandem, DEO adſpirante, & Sereniſſimi Regis Daniæ, tanquam Mediatoris interpoſita authoritate, factum eſſe, vt inter nos ſimul ac Sereniſſimæ Reginæ Regnique Sueciæ Aulæ Cancellarium & Legatum, Illuſtriſſimum & Excellentiſsimum Dominum Iohannem Adler Saluium, dicta præliminaria concluſa ſint, ſequentem in modum. Loca vniuerſalis Tractatus ſint Oſnabruga & Monaſterium, in Weſtphalia, ex quorum vtroque ſtatim poſt commutatos (vt infra dicetur) Saluos Conductus, educantur militaria partium præſidia & durantibus congreſsibus dictæ ciuitates, ſacramento vtriuſque partis ſolutæ ad neutralitatem obligentur. Magiſtratui interim proprio cum milite & ciuibus ſua cuiuſque vrbis cuſtodia relinquatur, ipſe viciſsim dato reuerſali, obſtringatur ad fidelitatem ac ſecuritatem toti conuentui præſtandam ac tractantium res ac perſonas comitatumque ſancte habendum & cuſtodiendum. Et ſi quid ab eo, pro communi tractatus bono requiſitum fuerit, præſtet ſe quidem obſequentem neutrius tamen partis iuſſa exequatur, niſi ab vtroque Legatorum corpore collegiatim inſinuata. Iura & priuilegia ciuitatis Oſnabrugenſis interim ſalua maneant, & Templa, Scholæ, Curiæ penes Senatum. In cognominem vero diœceſin neutra belligerantium pars plus iuris factiue ſibi ſumat, quàm tempore huius contractus habent. Vterque congreſſus pro vna habeatur, atque ideo non ſolum itinera inter vtramque vrbem omnibus quorum intereſt vltro citroque liberè ſecureque commeari poſſe, tuta ſunto: ſed & quicunque locus interiectus particulari tractantium conuentui, pro mutuâ communicatione videbitur commodus; eâdem quâ dictæ vrbes ſecuritate fruatur. Libera quoque ſit in omnia dicta loca literarum, commeatus & rerum omnium, tanto conuentui neceſſariarum importatio, exportatioque nec ab vllâ parte, nulloue modo aut prætextu, vſquam turbetur, ſed potius omni meliori modo promoueatur. Si verò, quod Deus auertat, Tractatus re infectâ diſſolui contigerit, recipiant Oſnabruga, Petersburgum & Monaſterium ſtatum & præſidia, quæ nunc habent omni ex parte, vt ſanctè religioſeque ſeruetur neutralitas ad ſex hebdomadas

domadas post abruptos tractatus. Salui Conductus pro vtroque congressu, commutentur vtrinque omnes intra duos menses à die huius conuentionis. Et ne diuersis dissitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium morasque nouas adferat, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Ministros. Et quidem ad congressum Osnabrugensem ex parte Augustissimi Imperatoris, tradantur sequentes Salui Conductus. Pro Reginæ, Regnique Sueciæ Plenipotentiariis. Pro Residente Gallico. Pro Domo Palatina. Pro Domo Brunsuicensi & Luneburgensi. Pro Domo Hassiaca Cassellana. Pro vniuersis Imperij Statibus, Sueciæ fœderatis & adhærentibus in genere. Ex parte vero Serenissimæ Reginæ Sueciæ tradantur sequentes Salui Conductus. Pro Imperatoris Plenipotentiariis. Pro Deputatis Electoris Moguntini. Pro Electoris Brandenburgici Deputatis, Supradicti Salui Conductus omnes & singuli, tam ex parte Romani Imperatoris, quam Reginæ Sueciæ, sub ea formula, quæ nouissime per Mediatorem Legatos communicata patribus, & ab ijs probata fuit, concepti extradantur. Singulis quoque Saluis Conductibus supra dicta tractatus vniuersalis loca respectiue inserantur. Et præsentis tractatus autographum, data singulis Legatis copiâ authenticâ, apud Serenissimum Daniæ Regem deponatur. Dies autem auspicando vtrique congressui Osnabrugensi & Monasteriensi dicta constitutaque esto 25.(15.) mensis Martij proxime venturi, quod felix faustumq; Orbi Christiano det esse Deus. Præsens autem tractatus cum altero, super ijsdem Pacis vniuersalis præliminaribus hodiernâ quoq; die concluso inter Nos Conradum à Lutzovv pro Imperatore Romano & Rege Hispaniarum ex vna, & Illustrissimum Legatum Dominum Claudium de Mesmes Comitem d'Auaux pro Christianissimo Rege ex altera parte, vnus idemque sit tractatus, nec nisi adimpletis vtriusque conditionibus alterutter pro impleto habeatur. Quæcunque supra de die locisque tractatuum dicta sunt, ea à principalibus vtrinque nostris peculiari instrumento rata habebuntur, eaque ratihabitio vna cum enumeratis Saluis Conductibus præstituto tempore ac loco reciprocè commutabitur. In quorum omnium fidem, roburque præsentes, manibus nostris signatas, sigillis quoque mutuis firmauimus. Hamburgi die 25.(15). Decembris Anno 1641.

(L.S.) CONRADUS à LUTZOVV.

Cōtra L. 1. *C. De Formulis & impetrat. Act. ſublatis.*

Cum igitur, non obſtantibus hiſce laudatiſsimis Pacificis Declarationibus Imperialibus, Legati pariter Regnorum Galliæ & Sueciæ, in præliminaribus formulis puris, id eſt, aucupatione ſyllabarum, ſalutaribus hiſce actibus inſidiantibus, cum magno temporis ſpolio hæſerint, radicitus amputandis; Inferendum eſt neceſſario, illos febricitantem & nauſeabundum ſtomachum ad Pacem Almam habuiſſe & habere, *Nihil enim æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio, Non coaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Nihil tam vtile eſt, quod in tranſitu proſit.* quod luculenter, ex Documento ad Calcem libri annexo patebit Beneuolo Lectori.

Ἀνάλωμα τοῦ χρόνου πολυτελέσθατον. *Senec. de Legēd. Author. Epiſt.* 2.

CAPUT VI.

Quid ſit Velle Imperatoris hypotheticum, & in ſpecie practicum?

Vbi 1. occurrit, Aurea Bulla Caroli IV.

I. QVod ſi quiſpiam Bullam hanc condigno verborum Præconio exornare vellet, ei, miſſo vulgari axiomate, quærendum foret, μυριάμφορον (quod Suidâ Interprete) decies mille amphorarum verbum eſt, aliquod, quo dignitatem, vtilitatem & præſtantiam complecteretur. Eſt enim hæc Lex nobiliſsima: Freherus *in not. ad Petr. de Andlo. cap.* 5. Daran alß einer Grundfeſten/ das Reich vnnd Gewalt ruhet/ R. A. zu Wormbs / *de Anno* 1521. *circa fin. princ.* Neruus firmiſſimus Pacis publicæ: Lex Fundamentalis: Heigius *quæſt.* 5. *lib.* 1. *n.* 2. Firmamentum, propugnaculum, Muruſque Tranquillitatis & Pacis in Imperio: Firmiſsima Romani Imperij Petra, ſuper quâ, etiam Maieſtas & Pax eiuſdem tuto quieſcit, compendioſam Iuris publici inductionem continens: Vnicum, atque Adamantium Vinculum, quo tenue hoc, & exangue Imperii corpuſculum, quod vix Oſſibus hæret, conſtringitur, quoque Salus, & Dignitas Imperij continetur; Veriſsimum Imperij Noſtri *Palladium.* Quemadmodum enim Troiani opinabantur, Regnum ſe habituros ſtabile, quouſque ſartam tectamque haberent imaginem Palladis, quam *Palladium* nominabant, quâque amiſsâ, Regnum eorum ruinæ fuit expoſitum. Ita, opinor,

PALLADIVM PACIS.

opinor, quousque hanc Bullam Nostram, obseruantiâ coluerimus, Imperium firmum, & stabile futurum. Nobilissima, inquam, verè est; Tum ratione Authoris, omnis Nobilitatis fonte; Tum ratione finis, & Effectus; Tum denique ratione Adiuncti, seu Loci, vbi condita & promulgata. Si enim grana metimur ex agro, ex loco æstimamus alia, quidni & Bulla Aurea præstantior erit? Propter Natale Solum Metim, & Norinbergam? Hæc namque, vt alteram nunc intactam relinquam, inter Ciuitates Imperiales Egregia, Et haud postremâ locanda sede, vt notat, sequens elegans Αναγραμματιζόμενος. *Ciuitas Nurimbergensis. Ni Scis? Vrbium Regina est.* Hîc Imperialia ornamenta, tanquam apud bonæ fidei custodem deposita, adseruantur: Hic tot comitia, tot torneamenta, tot Imperatorum nuptialia solemnia habita & celebrata, quod vix nullibi, Hæc tot seruitia Imperatoribus præstitit, vt exinde præmij loco multa priuilegia, compluresque nunc habeat ab Imperatoribus Nobilitatos Patritios, Incolas, qui tantâ sapientiâ Belluam illam, multorum capitum, regunt, & moderantur, veluti olim interrogati, Quomodo? responderint, scite, Mit guten Worten / vnd harten Straffen / vt verè de illis prædicari queat, quod tritum illis prouerbium tribuit, cum dicitur: Hette ich der Venediger Macht / der Augspurger Pracht / der Straßburger Geschütz / der Nürnberger Witz / der Vlmer Geld / So wäre ich ein Herr in der Welt.

ALTERVM VELLE IMPERATORIS Practicum, est in Pace Publica profana, & Religionis, aliisque Imperij LL. fundamentalibus.

Est autem Pax Publica Profana, Imperatoris & reliquorum S. Romano-Germanici Imperij Statuum, Comitiale Edictum, cuius virtute, quilibet Imperii ciuis, ab omni inuasione iniusta, & violentâ occupatione, hostili direptione, seu deuastatione plusquã barbaricâ, rebus iuribusque suis quietè vti, & vbique tutò viuere potest, cuiusmodi Saluberrimam Constitutioné, huc impellente proteruâ hominum maleferiatorum petulantiâ, & alieni diripiendi inuadendique effreni libidine, quibus Scelus pro Zelo, latrocinium, pro patrocinio, & II.

Stürmen/pro schirmen/ vsque fuit, vt loquitur Goldast, *in sua ad Magerum, acclamatione*, vt tuta esset, inter improbos, innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenaretur nocendi facultas, essetque aduersus factiosas hominum coadunatorum, quæ ex dolo malo, vi armata suscipiuntur, seditiones, præsentissimum Ἀλεξιφάρμακον, & tàm publicè, quam priuatim, Pax optima rerum sarta tectaque conseruaretur, * *Anno* 1566. §. Wiewol sich. Primum Maximilianus I. *Anno* 1495. Wormatiæ: Et *Anno* 1500. Augustæ: Dein, Carol. V. *Anno* 1521. Wormatiæ, *Anno* 1552. Norimbergæ, *Anno* 1548. & 1551. Augustæ: Ferdinandus I. *Anno* 1555. Augustæ, *Anno* 1557. Ratisponæ, *Anno* 1559. Augustæ: Maximilianus II. *Anno* 1566. Augustæ, *Anno* 1570. Spiræ, & 86. Ratisbonæ, Rudolph. II. *Anno* 1594. &c. Ex vnanimi Ordinum Imperij consensu, & voluntate promulgarunt, & saluberrimorum remediorum adminiculis subinde suffulserunt, firmarunt, corroborarunt, pleniori, & perfectiori quodam modo, quam vnquam prisca illa ætas, ante Maximilianum I. viderit, quamuis nec eam sanctionibus de Pace Publica, caruisse, nemo negitet. Altera Pax est, *de Religione*, der Religionfried. hîc proponenda, *Anno* 1552. incœpta est Passauij, confirmata verò & Augustæ, *Anno* 1555. ità describi potest, Quod sit Pax. §. Vnnd damit in verb. Friedt/ vnd passim; In Recess. *Anno* 555. ob politiæ, pacisque publicæ conseruationem. §. Wiewol/ ibi, dardurch/vnnd haben/ibi, wie gemeine Ruhe/ de dissidio Religionis, §. Vnnd damit jetztgesetzter / inita, inter Imp. & Imperij Ordines, §. *in proœm. Pac. in fi.* ac sub Pacis Publicæ pœna promulgata, §. Vnd damit & seq. in fin. *in Pac. Relig.* Hanc Cæsaris benignitas, statuum voluntas, rerum humanarum Tranquillitas, Pax orbis, quies seculi, ratam esse iusserũt. Cum enim Germania bello arderet, & theatrum esset dulcissima nostra Mater sanguinolenti Martis, repente Deus aliquis ex machinâ adstitit, aureamque Pacem, velut Palladium, non sperantibus proiecit. Fructus istius hi sunt: 1. Quod vtraque Religio decenter toleratur; 2. Quod inter status & subditos animorum coniunctio stabilitur. 3. Rerum conuentarum immutabilitas, *Seruate fœdera Pacis, nec regnis postferte fidem.* 4. Transactionum firmitas. 5. Rerum factarum necessitas, quam Concordiam primam Inuictissimus Ferdinandus I. primùm fundauit Passauij; stabiliuit posteà in

Concor-

*Recess. de

PAX RELIGIONIS.

De hac Pace Religionis me *vide latius, peculiari tractatu, in Syntagm. Iur. Cam. Disp. 8. per tot.*

Concordiâ ſecundâ, Ferdinandus II. Glorioſiſſimæ recordationis, Pragæ, Anno 1635. Perfecit denique nuper Ratisbonæ, Anno 1640. & primo, Pientiſſimus & Iuſtiſſimus Imperator modernus, *Diuus Ferdinandus Tertius*, & quod reliquum eſt, Deo dante perficiet, Francofurti ad Mœnum, inſtanti hac Dieta, vt quadret hic Verſiculus Græcus.

Πρῶτα θεὸς, μεταπεῖτα λογὸς, καὶ πνευμα σεάυτον.

Inſuper declarant voluntatem Dei, & Imperatoris Conſtitutiones, ſeu Leges Imperij, quæ diſtingui poſſunt, in 3. partes. 1. De Variis punctis conuentis tractat, ſcilicet de Monetis, Politiâ, Religione, collectis & contributionibus Turcicis, earumque moderationibus, pœnis blaſphemorum, Ebrioſorum, potatorum, in veſtitu & aliis ſumptibus Luxuriantium, vſurariorum. 2. De Pace publica profana, eiuſque Executione, & ordinatione Circulorum, eorumque, Præfectorum, ſubſtitutorum, & Aſſiſtentium officiis. 3. De Circulorum mutua correſpondentia, tempore obortæ alicubi ſeditionis, tumultus, aut rebellionis. 4. Denique, quod vnuſquiſque Circulus inſtructus eſſe debeat, tormentis bellicis, munitione, & aliis prouiſionibus militaribus. Tertia pars Conſtitutionum Imperialium, tractat de Iuſtitia, in Ordinatione Cameræ Imperialis, ſuper qua videri poteſt *Syntagma meum Iuris Cameralis*, præter alios, eaque Ordinatio Cameræ, eſt Sanctio Pragmatica, formam iuris in Imperio dicundi & iuſtitiam pro tribunali, quod Camera vulgò vocatur, adminiſtrandi, præſcribens. Præter illam Conſtitutio Religionis, Anno cIↃ. IↃLV. in Comitiis Ordinum communi conſenſu promulgata, qua ſancitur, Neminem in Imperio, Religionis intuitu, turbari, aut moleſtari debere: eum, qui auſus id fuerit, per mandata Cameræ conſtringendum eſſe: per illam Conſtitutionẽ Tranſactionis Paſſauienſis, quæ Paſſauij, Anno cIↃ. IↃLI. inter Imperatorem & Ordines facta eſt tranquillitatem, & iura Religionis, ordinat, confirmata & in legem fundamentalem Imperij aſſumpta fuit. Finito enim ciuili cum proteſtantibus bello, Cæſar, Anno 48. Imperii Statibus Auguſtam conuocatis, priſtinam Imperialis Conſiſtorij formam reſtituit, idque vt circa ambages poſt recentem turbarum memoriam, & facilius fieret, vt ſuo arbitrio Aſſeſſores eligeret, iudiciumque reformaret, Imperator obtinuit: Ita tamen ne hoc quicquam Electoribus præiudicaret, derogaret, eorumue III.

priuile-

priuilegiis fraudi esset: Anno eodem (tametsi *Sailer. in annot. de person. Iud. Cam.* ponat. Annum 1547.) inter cætera, Augusto Ordinatio Cameræ maximæ curæ fuit, quam authoribus seu compilatoribus Conrado Visch/ & Conrado Braun/ V.I. Doctoribus, &c. quod hactenus sæpè tentatum, nunquam effectum erat, fœliciter perfecit, promulgauit, eandemque postea Anno 55. recognitam atque recusam, omnibus præcedentibus, simul & rescriptis commisionibus, Auocationibus, iussionibus, mandatis Cæsareis, contrariis cunctis abrogatis seruandam, Ordin. Cam. procem. §. Setzen ordnen Præter reliquos Recessus Imperij, Constitutio est Arrestorū in Comitiis Spirensibus, Anno cIↃ. IↃ. Lxx. rogata, qua per mandata de relaxando arresto, obuiam itur arrestationibus, & impedimentis, quæ fiunt, quando status bona alterius propria, vel eius subditos, via facti non iuris, impedit, detinet, vel manus iniectione molestiam affert, Gail. qui in hanc constitutionē librū singularem conscripsit, *cap. 2. in princip. & cap. 3. in princip.* adde Recessum de Anno cIↃ. IↃ. Lxx. Friderus *de process. lib. 1. cap. 46.* Tum Constitutio ex *L. diffamari*, qua in grauioribus diffamationibus, quarum exitus ad turbationem Pacis publicæ, & Scandalum spectat, diffamatori terminus agendi in iudicio statuitur, qui cognitione de veritate traductionis, & diffamationis habita, vel absoluitur, vel ad perpetuum silentium condemnatur. *Ordin. Cameræ. part. 2. cap. 25.*

IV. Præter Imperii Fundamentales Constitutiones superius recensitas, duo alij sunt Genij, Sphæræ huic Legali, non secus, vti Intelligentiæ, Orbibus Cœlestibus assistentes, eamque circumrotantes, Imperialis voluntatis Interpretes, maximè in rebus dubiis: Inter hos censendi Magistratus, tàm Politicus quam Sacer, iique omnes, qui aliis legitimè præsunt: Quantum est enim ius in ciuitate esse? nisi sint, qui iura regere possint, & accommodare ad vsum societatis humanæ: Hinc Imperator Antoninus Augustus, Pudente & Pollione Consulibus, Aduocatis Fisci dixit. *Vos habetis Iudices vestros.* Viuius Zeno dixit. *Rogo Domine Imperator, audias me patienter: De Legatis quid statues?* Antonius Cæsar dixit: *Videtur, ibi, voluisse testamentum valere, qui nomina heredum induxit*: Cornelius Priscianus Aduocatus Leonis dixit: *Nomina heredum tantum induxit.* Calphurnius Longinus Aduocatus Fisci dixit:

L. 1. C. De LL.

L. 2. §. 13. ff. De. Orig. Iur.

L. 3. ff. De his, quæ in testamento delentur.

dixit: *Manumisit quosdam, & legata dedit.* Antoninus Cæsar, remotis omnibus, cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset, dixit: *Causa præsens admittere videtur humaniorem interpretationem: vt ea duntaxat existimemus Nepotem irrita esse voluisse, quæ induxit.* Hinc totum ius in scriniis Imperialis pectoris dicitur constitutum. *Cui & ipsas LL. Deus subiecit, Legem animatam eum mittens hominibus.* Hinc Imperatores Theodosius, & Valent. ad Senatum Romanum rescripserunt. *Humanum esse probamus; si quid de cætero in publicâ, priuataue causâ, emerserit necessarium, quod formam generalem, & antiquis Legibus non insertam exposcat, id ab omnibus anteà tàm Proceribus Nostri Palatij, quam gloriosissimo catu Vestro, Patres, conscripti, tractari, & si vniuersis tàm iudicibus, quam Nobis placuerit, tunc Legem dictari, & sic denuo collectis omnibus eam recenseri: & cum omnes consenserint, tunc demum in Sacro Nostri Numinis Consistorio recitari; vt vniuersorum consensus Nostræ Serenitatis authoritate firmetur.* Hinc in Comitiis Imperator, veulti Numen in cœlis præsidet; cui assident, quasi Septem Planetæ, in Zodiaco Imperij statas officiorum periodos obeuntes, illi Septemviri: scilicet,

L 19. in pr. C. De Testam.

Iust. Nouell. 105. cap. 2. in fin.

In L. 8. C. De LL.

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij, sit Cancellarius, horum:
Et Palatinus, Dapifer: Dux Portitor Ensis.
Marchio Præpositus Cameræ: Pincerna Bohemus:
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Et vndiquaque circumsident Nobilissimi Stellarum Chori, Imperij status, Solem suum, hoc est Imperatorem, radiantia tanquam lumina, & velut per singulos Orbes sigillatim dispersa, Nam sicuti libera, & florente Republica, Populus Romanus Regem esse iubebat, sic posteriori æuo Princeps, qua Ecclesiasticus, qua secularis, Dux, Comes, extitit, quem Cæsar talem fecit. Hi quamuis in suo territorio, summa vi pelleant, decorè tamen ab eodem capite dispensantur, velut magni corporis, inuicti artus. Alter genius qui Sphæræ huic Legali assistit, est Iurisperitus, seu Consiliarius; *Non enim constare ius potest, nisi sit aliquis Iurisperitus, per quem possit quotidiè in melius produci,* Parumque est, Arma esse foris, nisi bonum sit consilium domi. Ne Ioui quidem consilium satis est, sine Nemesi, sine Themide voluerunt cœli ciues, Magna negotia, magnis adiutoribus egent, neq; vitio datum Atlanti,

L. 2. §. 13. in fin. ff. De Orig. iur.

quod Herculem in laboris communionem admiserit; Non Agamemnoni, quod Nestorem, nec Æneæ, quod Palinurum. Verba *Henrici IV. Imp. ad Electorem Coloniensem* pulchra sunt, decora, & intexenda, *In maximis Negotiis maximorum opus est consiliis: qui & facultatem habent exterius, & voluntatem interius, vt rei cui benè cupiunt, consulere & velint, & possint.* Reuber. *tom. vnic. rer. German. fol.* 195. Nam, vt Solomon, in *Prouerb.* 11. *&* 15. In magno prudentum numero, magnitudo consilij, & propterea salus reseruatur. Deinde pars libertatis est, quorum periculo res geritur, vt illa eorum consilio, atque authoritate administretur, & quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. Denique qui apud Regem in magna gratia sunt, & magnis Imperiis prosunt, eius consilij metu, in quo ciuitatum postulata liberè audiuntur, in officio contineantur. Quemadmodum enim pecudes non ab vno è suo genere, quemadmodum pueri, aut adolescentes, non ab vno è suis æqualibus, sed à præstantiore aliquo reguntur, sic hominum multitudo, non ab vno è suo numero, qui minus fortasse, quàm alij complures, videret: sed à mente ex multis conflata, hoc est coniunctis priuatorum virorum consiliis regenda, & gubernanda est. *L.* 1. *ff. De LL.* Præclarè Buchan. *in Dialog. de iure Regn. ap. Scot. Singuli,* inquit, *habent quasdam virtutum particulas, quæ simul collatæ, vnam excellentem virtutem conficiunt.* In Medicorum pharmacis id oppidò conspicuum, ac præsertim in antidoto illo, Mithridaticum quod vocant, plures res in eo per se noxiæ, vbi confusæ fuerint, salutare aduersus venena remedium pariunt: Sic & hominibus aliis tarditas & cunctatio, aliis præceps temeritas obest, hæ in pluribus commixtæ, temperamentum quoddam vtile, & gratam mediocritatem pariunt. In grauibus negotijs consiliarios adhibere prudentis est, *L.* 8. *C De LL.* Hinc Senatores partem corporis sui esse ait Iustinianus, in *L.* 5. *C. Ad. L. Iul. Maj.* Pontifex etiam solet ardua, præuia deliberatione in Concilio Cardinalium explicare, Hinc infero.

Subdite, quid Lex est? mihi dic, nisi REGIS imago.

Repeto igitur vestibulum præmissum ab initio.

REx Macedo Alexander ante omnia nosse voluit, quo pharmaci genere

genere iuuari posset. Deinde PHILIPPI Medici in se fidem non indiligenter expendit, & quem is animum erga se gereret, è vultu didicit. Alterum: Vbi ALEXANDER perspexit PHILIPPUM Medicum tàm intemeratâ fide pro salute suâ sollicitum esse, omni suspicione positâ, medicamentum PHILIPPI manibus temperatum, sine vllâ cunctatione intrepidus hausit. Thesis illa, Hypothesis hæc. Diximus superiore libro, quâ ratione in Diuinæ & Imperialis voluntatis notitiam veniendum. At illam nosse non satis est: suam illi arctissimè coniungere oportet, in regno certè ad Regnum nati sumus: Deo parere libertas est. *Filius honorat Patrem, & Seruus Dominum suum. Sciens enim voluntatem Domini, & non faciens, plagis multis vapulabit.* Quippe Christus incœpit Facere, & Docere, Facta, sunt Mares, Verba, Fœminæ. *Senec. lib. 2. de vitâ beatâ. cap. 15.* *Malach. 1. cap.* *Ad Colossenses. 3. & 4.* *Luc. 10 v.*

Parasceue ad Librum Secundum Prosodica.

Q*Vâ ratione queat*, GERMANIA, *salua teneri,*
Suscipe, Consilium, Lector Amice, meum.
Vtere jure Tuo, CÆSAR, *Tu, Subdite Subsis,*
CLAVEM ROMA *tenens*, AUSTRIA *gestet* AVEM. * *idest AQUILAM.*

* *
*

LIBRI SECUNDI, CAPUT I.

ADVMBRAT, VELLE IMPERATORIS, VELLE, 1. Per Corpus mysticum. 2. Matrimonium. 3. Heliotropium. 4. Cynocephalum. 5. Vniones. 6. Magnetem, &c.

Quæ animorum harmoniâ necessaria, depingitur hoc versu.

*L. 4. ff. De Reg. jur. §. 6. Instit. de Iur. Nat. Gent. Ciuili.

*Sunt duo, quæ duo sunt, & sunt duo, quæ duo non sunt.** proinde,
Sis, quod esse velis, nihilque malis. Martialis.

Ammian. lib. 25.

Sueton. in Calig. c. 6.

Arnis. d. lib. 2. s. 3. p. 562.

ITA RESPUBLICA SALVA SIT! ITA QVASSATVM RECREEM ORBEM ROMANVM! ex alto pectore *Iuliani Magni* magna fuit vox, verè magna! qua vel sua sponte Romanorum ciuium, votum & amor allectus: vt haut inuiti omnes & singuli pro salute eius vicissim, Quod olim Imperatori à victoria Persica redeunti factum meminit. *Sit & ita saluus Iulianus!* Quia salua Roma, salua Patria acclamarint! Ex quo demum coniunctim illud, viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus, solet nasci, quo nihil superius, sanctius & Maius, in hoc orbe habetur. Quando mediante eo *Cæsar, Reges, Principes*, alijque cum *populo statibus & Clientibus suis*, vt *caput & membra* in vnum corpus politicũ ita coalescunt, vt & caput pro membrorum, & membra pro capitis statu conseruando iugiter laborent & occupentur, veluti inter alia, quæ notatu & consideratu dignissima *Plutarchus Philosophus celeberrimus vir* tum vita integerrimus, tum scientiis eruditissimus, tum magnæ apud Romanos autoritatis, omnium pulcherrimè expressit, dum ait: Scito Imperator Traiane, Domine, Te & Imperium tuum, nihil esse aliud, quam *corpus mysticum* ad corporis viui verique modum. Ea quippe requiritur vtrinque concinnitas, vt & Imperator tales se habere subditos gaudeat, & Imperium de

Arg. ad Rom. 12. vers. 34.

Anton. Gueuar. lib. 1. horol. princ. c. 36.

tali

tali sibi Domino placeat. Vt igitur corpus mysticum, quod est Imperium, ad exemplum hominis viui pingamus; Caput omnium est *Princeps*, penes quem Imperij summa est. Oculi, quibus videmus, viri in republica sunt boni, quorum ductum sequimur. Aures quæ audiunt, quod dicimus, subditi sunt, qui Imperata faciunt. Lingua, qua loquimur sunt eruditione præstantes viri, ex quibus leges & disciplinas audimus. *Capilli* è capite penduli, sunt oppressi & iniuria affecti, qui opem Regis implorant. *Manus & Brachia* sunt equites & nobiles, qui hostem reprimunt. *Pedes* qui omnia sustinent membra, sunt agricolæ, qui victum omnibus ordinibus subministrant, *ossa dura*, quæ carnem fulciunt fragilem, sunt viri sapientes, qui onus sustinent Reipublicæ. *Corda*, quæ palàm non videmus, sunt familiares intimi, qui in arcano consilium dant senatu. Denique *collum*, quo capiti corpus cohæret, est amor Regis & Regni, ex quibus constat Respublica. Hæc *Plutarchus* ad *Traianum*. à quo certe, vt nec ipse sacer *Imperator Iustinianus* absimilis; hoc ipso, quando Viros Illustres, Senatoresque, partem corporis sui agnoscit, necnon *Cæsar*, quando de Procerum conuentu ait: Haben vns mit den Reichs-Ständen / alß ein Christlich Corpus, vereiniget vnnd vertragen / R. A. *Anno* 1512. *in pr.* eleganter Thuanus *in præfat. lib.* 2. *histor.* Ita nec *proceres ipsi*, *dum suæ se Maiestatis, subiectissimos* nuncupant, ipsique velut pia membra suo capiti congeniculant, Alß deß Heyligen Röm. Reichs Oberhaupt / deß Reichs wachendem Haupt. Non ἁπλῶς, sed pro forma reipublicæ secundum quid, quantum per Capitulationes, Merito cum nullum Regnum, nulla vrbs, nulla domus, si aduersus se diuisa sit, stare posit; Sapienter ostendit hoc Menenius Agrippa Legatus superiori Plutarchi Apologo, *de dissensione corporis & membrorum*, senatum & plebem Romanam dissidentes componens: adstipulante Capitulino pro reconcilianda ordinum concordia, ad populum *ita loquente*: *Hostes non vestram ignauiam contempsere, nec suæ virtuti confisi sunt: Quippe toties fusi fugatique castris exuti, agro multati, sub iugum missi & se & nos nouere; Discordia ordinum est venenum Vrbis huius patrum ac plebis certamina. Dum nec vobis Imperij, nec nobis libertatis est modus. Dum tædet Vos Patriciorum, nos plebeiorum Magistratuum*, sustulere illi animos. *Tit. Liuius.* Galli certe & iactura bonorum suorum cæde, & tot aliis super alias calamitatibus, nimio plus quam vel-

Lib. de doctrina princip.

L. quisquis C. ad l. Iul. Maj:

Sixtin. l. de regal. c. 4.

Aur. Bulla. tit. 2.

Bort. d. disc. pen. th. 10. *lit. A.*

Matth. 12. 25.

lent, vera esse experti sunt. *teste Anti-Mach. pagina*, 632. Sed & Carthaginensis florentissimæ ciuitatis occasus, quæ res magis causa fuit, quam ciuilis dissensio? Floridum vtique corpus, in quo partes mutuæ securitatis pabulo pascuntur! siquidem tum iure & tuto affirmauerit. *Superior*: vti olim *Eberhardus Barbatus, Dux VVirtenburgensis*, in conuiuio apud *Maximilianum I. Imperatorem*. Hoc scio pro certo quod habeam ciues obsequentes, quodque securus in medio æstu, in campo atque solus in gremio cuiuslibet dormire queam. *Inferior Rex*

Liu. Annal. lib. 21.

Nicol. Henning. in Genealog. Ducum VVirt.

-------- *Mitis erat Patris instar!*

Quum valeret esse custos, vt nec opulenti iniustum aliquid paterentur, nec plebs contumeliam acciperet, secundum Aristotelem 5. *Polit. cap.* 10. *&c.* Itemque Senecam in ignoti scriptoris Octau.

Consulere Patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare
Orbi quietem, seculo Pacem suo.

CAPITIS IN CORPORE MYSTICO, ID EST *Imperatoris descriptio.*

CVm natura omnes videantur pares eiusdemq; materiæ terrestres homines, adesse quoddam signum apparens necessarium est, vel diuinum, vel humanum per quod appareat, quis aliis præesse & obtemperare æquum iustumque sit. Naturali quidem ordine geniture, apparet ex nota antiquitatis, iuniores, senioribus: filios, parentibus, vxores Viris subiici debere: at in multitudine, in Ciuitate, in Prouincia, in Populo, non ita facile est iudicare: neque facile alij alijs subiiciuntur. Et proinde vel ex consensu gentium oportuit electiones, comprobationes præpositorum & Principum fieri; vel ex subditorum auctoritate, qui omnem potestatem suam in certos transtulerunt, certa lege, vel absolute, vel vi superiore & Dei arbitrio, cui lubentius, qui de numine probe sentiunt, obtemperare debent. Et quia homines corpore & sensibus constant & vt plerunque anima per externas sensuum delationes cognoscit & iudicat, ideo necessarium fuit. Quemadmodum in alijs, quæ via humana percipiuntur, adesse

ſe & conſtitui quædam extera ſigna, ſeu inſignia per quæ Princeps electus vel conſtitutus cognoſceretur, vnde non liceret impune eius detrectare imperium. Ea autem fuerunt pro diuerſitate regionum diuerſa. Sufficit enim talia eſſe, cuiuſcunque ſint ſpeciei, quæ idonea ſint & cognita inter populum, cui apparent, ad oſtendendum eum, cui ea inſunt Principem eſſe. Quia vero Princeps eſt velut caput populi cui præficitur, ideo ſæpius Principis perſona in parte capitis præcipua inſignia, vel ſymbola ſui Principatus, recipit & geſtat, vt Coronam, diadema, faſciam, pileum ducalem, & id genus ſimilia: aliquando nihilominus in alio ornatu reliqui corporis, propria & principalia quoque gerit inſignia, vt globum, Sceptrum, purpuram, ſandalia, & alia ſi quæ recepta ſunt more nationum. Quum Deus populo ſuo Moyſem Principem conſtituit, & ducem, dedit illi virgam ſignorum & prodigiorum inſtrumentum pro ſceptro, & poteſtatis ſymbolo, in poteſtatis autem Sacerdotis magni ſymbolum, alia conſtituit inſignia & ritus conſecrationis veſtimentum lineum, tunicam, ſuperhumerale, rationale, baltheum, Tiaram in capite, cum lamina ſancta ſuper Tiarā, cum ritu vnctionis capitis, & dedit filiis Aaron Sacerdotium in perpetuum & conſecrauit filios eius aliis ſymbolis & ritibus, tunicis lineis, & baltheis, mitris, initiauitque manus eorum. Atque deinceps morituro Moyſi, iuſſit Deus vt conſtitueret in locum ſuum Ioſue filium Nun, virum, in quo eſſet ſpiritus Dei, & poneret manum ſuam ſuper eum, & ſtaret coram Eleazaro Sacerdote & omni multitudine, & daret ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ ſuæ, vt audiret eum omnis Synagoga filiorum Iſrael. Fecitque Moyſes, vt præceperat ei Dominus: cumque tuliſſet Ioſue, ſtatuit eum coram Eleazaro Sacerdote, & omni frequentia populi & impoſitis capiti eius manibus cuncta replicauit quæ mandauerat ei Dominus. Refert Herodianus, inthronizandorum vel inſigniendorum Imperatorum Romanorum antiquos quoſdam ritus & mores, de Macrino loquens, *Talia*, inquit, *loquentem, exercitus omnis cæterumque vulgus Imperatorem atque Auguſtum conſalutauit, tum amictum purpura, reliquoque ornatu atque apparatu ibidem ex tempore conquiſito, præcedente etiam igne, in Antiochiæ primum templa, mox ad ſuas ædes deduxerunt.* Ex quibus notantur inſignia, nomen & ſalutatio Imperatoris & auguſti, amictus purpuræ, deductio

Exod. c. 4.

Exod. c. 28. & c. 29.

Vt ſcriptū eſt Numerorum c. 2.

in

in templum, & ignis prælatio, meminit idem auctor de ignis prælatione in Pertinace *lib. 2. & in lib. 1.* in Commodo, vbi & de alijs insignibus. Salutatio nomine Imperatoris testimonium habet pectoris & animi subditorum, qui alio modo quam externa & prodeunte imagine mentis nempe voce, non potest apparere, nemo enim aliquid dixisse præsumitur quin ante mente agitauerit. Sic milites prætoriani Romani sub Præside Pilato, per contumeliam exuentes Dominum IESUM propriis vestibus, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem pro sceptro in dextera eius. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes, *Aue Rex Iudæorum*, ita imitati insignia data aliis regibus in Christo per irrisionem, dantes ei purpuram, coronam & salutationem regiam. Herodianus rursum, dum de filiis Seueri, qui Imperium inter se diuiserant agit, refert eos, dum in vrbem venerunt, à populo & Senatu Imperatores consalutatos: eos autem præisse cum Purpura Imperatoria, idipsum factum in Electione Gordiani, additæque, inquit, *Virgæ laureatæ*, quo insigni Principes à Priuatis dignoscuntur.

d. l. Labeo 7. §. 1. de supell. Legat lib. 33. p. tit. 10.

Diui Matth. cap. 27. vers. & seq.

in princip. lib. 1.

Lib. 7.

Imperatorum salutationes primæ erant etiam cum adoratione *Sicuti Herodianus innuere videtur dum de Plautiano agit*, quem cum mandata ab eo de necando Seuero cum filio Antonio, Saturnino dedisset vt sibi Imperium vsurparet, is Saturninus vt ait pro Imperatore adorauit, inter salutandum Regem ab initio in Israel, dum apparebat erat illa vox vsurpata, *viuat Rex.* Vt dum Saul primum electus & exhibitus populo per Samuelem. Pari modo, postquam Sadoc Sacerdos vnxit Salomonem in regem iussu & loco Patris senis Dauid cecinerunt buccina, & dixit omnis populus, *Viuat Rex Salomon.* Cùm etiam Ioiadas Sacerdos Dei, constituit Ioas regem filium Ochoziæ, produxit eum, & posuit super eum diadema, & testimonium feceruntque eum regem & vnxerunt & plaudentes manu dixerunt, *Viuat Rex.* Sic etiam salutasse reges Iudæos & sapientes constat, vt Danielis 2. *cap.* Sapientes, qui adierunt vocati, Nabuchodonosor ad explicandum somnium, *Rex*, inquiunt, *in sempiternum viue.* Sic Regem Babylonis alium salutauit Neemias *viuat Rex c. 2. 7.* Purpura & punica vestis, primum fertur delata à Rege cum eius tincturam inuenisse Hercules Tyrius

Reg. c. 10. vers. 24.

Reg. cap. 1. vers. 39.

Reg. 11. vers. 12. & 2. Paralipo c. 23. vers. 11.

rius forte fortuna, edoctus à cane suo, qui cum conchylia comedisset, ad illum accessit cruentatis maxillis tempore Minoidis: & proinde is primum tingere conchylio cœpit, & obtulit regi, qui primus eam, vt dixi, gestauit, teste Suida, in Hercule Tyrio. Fertur Romulus Primus, trabea regia quæ ex purpura immixto albo erat, vsus. Apud Romanos tamen purpuram quinque generibus hominum, exactis regibus fuisse concessam legimus apud Liuium, primùm Magistratibus, dein pueris prætextatis, Senatoribus, Sacerdotibus, in sacrificiis peragendis, postremo triumphantibus, imo & Viris Clarissimis Nobilibus & rerum gestis insignibus, qui etiam cum vestibus purpuratis ad sepulturam deferebantur, quæ cum corporibus cremabantur. Sed hoc non omni tempore licuit, & nisi ex concessione Principis: postea pro beneficio, & in quantum potestatem in parte reipublicæ regenda sibi commissa gerebant, imo nec in speciem sacri muricis ideo dicti, priuatis tingere pannos licuit: & interdictum vestes vsui regio deputatas, à priuatis fieri aut vsurpari, vt nec etiã impune licuerit ante tempus Leonis Imperatoris (cum ipsi toti purpura induerentur Cæsares) segmenta purpuræ vel particulas vendere, aut emere, aut ferre & à Cæsare Purpuræ vsus interdictus, exceptis Senatoribus qui in Magistratu essent. Cum rebellarunt Afri contra Maximum, circumfusi Gordianum senem, proconsulem tunc Africæ, purpura induerunt atque augustalibus honoribus consalutarunt. Constantinopolitani Imperatores, puniceis vsi sunt calceis pro insignibus, *vt ait Luithprand.* Dum scribit moris fuisse, vt Imperator rubicatarum pellium caligis vteretur. Et Zonaras indicat, dum tradit. *Basilium Patriarcham noluisse in gratiam recipere Phocam Bardani nisi puniceis calceis exutis in habitu priuati veniret.* Refert Vasæus de Regibus Hispaniæ ex Isidoro, Luca Trudensi, Leouigildum Regem Hispaniæ factũ, eiectis reliquiis Sueuorum, & eorum Rege Andrea superato, primum solio ac purpura regali vsum, cum antea Gothorum Reges, & consessum & vestitum haberent cum aliis Nobilibus communem. Meminit Iustinus Antiochum qui Philippi pupilli sui regnum occupauerat Macedonicum, cum seditione minaci Macedonum clausus in regia teneretur, in publicum sine Satellitibus processisse, proiectoque in vulgus diademate & purpura dare hæc eos alteri iussisset, qui aut imperare illis sciret aut cui parere illi sciret. Deductionem factam in templum in inaugu-

Alexand. ab Alex. tit. 5. c. 18. lib. 34. & alios.

Quæ res ven. neq; lib. 4. c. 11. L. vellera. 3. & fide, vestib. holoser lib. 11. C. tit. 8. in L. nulli licere in frenis & equest. Sellis & in baltheis. Margaritas & Smaragdes, &c. aptare lib. 11. C. tit. 11.

Constitut. nouella Leonis 80. tit. vt puræ segmenta & particulæ

in publicis mercimoniis sint; Dion. Cassius lib. 4. Lib. 3. c. 9. lib. 28. Lib. 1. de bell. Troiano in princ.

ratione Imperatorum, dicit Herodianus, quod duplici causa potuit contingere, vel quod honores viderétur illis dari diuini, vel quod Imperatores initiarentur etiam sacris, vt omnia etiam sacra in sua dispositione habentes, liberè tractarent. Morem fuisse in Græcia in augurationibus regum, in templum ducendi, argumentum facit Dictys Cretensis, qui dum refert post mortem Atrei nepotes eius iuxta eius Testamentum ad diuidendum Imperium & regna Cretam conuenisse & transacta diuisione, eaque cognita, omnes ex Origine Europæ, quæ in ea Insula summa religione colebatur, ad eos confluisse benigneque salutatos in templum deduxisse, & ibi multarum hostiarum more patrio immolatione celebrata, exhibitisque epulis, large magnificeque eos habuisse. Fuerunt & Reges Persarum inaugurati, & religionibus consecrati à Passagardis, à gentis suæ Sacerdotibus in Bellonæ cuiusdam Deæ templo: quo loci, Regi nouo induebatur, Cyri vestis quam primitus gerebat, & comedebat offam seu massam ficuum aliquidque Therebinthi rodebatur & edebatur. Quod autem ignis præferretur Imperatoribus, hoc acceptũ fuit à Persis, apud quos sicut in more positum erat, ignem diuinis honoribus honorare, & adorare, & inexstinctum conseruare. Sic & Regi suo quem vt Deum adorabant, præferre. Legimus & *Iudith Versic.* 8. quod Principes & honorati, simul cum Populis exibant obuiam Nabuchodonosor regi venienti eum excipientes cum Coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibijs, & proinde etiam ignis mortuo rege per totam Persiam extinguebatur in domibus priuatorum, quem quisque pro Lare familiari adorabat vt ait *Diodor. Sicul.* dum de Ephestionis morte & luctu agit, Translatum, vel vsurpatum hunc morem à Romanis Principibus indicauit Herodianus in Cõmodo, dum ait *Commodum Cæsarem sorori suæ Lucillæ honores seruasse. Nam*, inquit, *& in theatris sella Imperatoria sedebat*, καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς, id est, *& ignis eam præcedebat.* Item de Marcia Commodi concubina, addit, *ei omnia vt Augustæ* fuisse, πλὴν τοῦ πυρὸς, id est, *præter ignem.* Meminit & dum, de Pertinace agit. Atque in Marci Antonini vita. Lucernas quoque in solemnitatibus fuisse Cæsarum, monet Tertullian. *Grande videlicet,* inquit, *officium focos & choros in publicum educere.* Iustinianus in edicto 8. de Pontici tractus Vicario, *circa fin.* hunc honorem Vicarijs Impe-

Plutarch. in Artaxerx.

Vt habetur apud Strabon. lib. 17. & in Ecclesiastica hist. lib. 7. cap. 1 & apud Agathiam in 2. Herod. in 8.

In cap. 14. Apogetici.

ratoriis communicauit. *Vtetur*, inquit, *Vicarius præconis voce & lampadibus quatuor, cum in hanc rem sumptus à nobis constitutus sit.* Diuinitatis symbolum lumen & ignis est: & ita sol imago Dei, rexque tanquam sol lucere debet inter homines. Deus vere lux mundi externa, indeficiens, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ignis æternus seu continuatus, & nocte & die conseruatus. Cuius symbolum habebat ignis, qui ardere debebat perpetuo in altari, ex iussu Dei. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. 13. ignis est iste perpetuus qui nunquam deficiet in altari.* Quod imitati quidem sunt, quidam populi & ignem apud se sacrum fouere conati verum idolis non Deo vero hoc ipsum se facere professi sunt. Sic Romani perpetuo curarunt foueri ignem per Vestales ex instituto Numæ Pompilij, qui aliunde traduxit & ex Alba Sacerdotiam adduxit, eo concesso Virginibus. At primum ad Troianos ex Iudæis & Persis. De hinc ex Troianis ad Lauinos primum, deinde Albanos, postremo ad Romanos commigrasse morem constat, vt Virgilius innuit.

Sol imago Dei.

Ad D. Ioan. c. 1.

Leuit. 6. c. vers. 12.

Vt ait Dionys. Hal. in 2. Plut. in Romuli & Numæ vita.

Vt ait Plutarch. in Numa.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

3. Æneid.

Vbi Vestam etiam dicit ignem, quod & nomen remansit, & Sacerdotes eius curam habentes vestales dictæ fuerunt, & electæ Virgines. Quibus colligimus ab Hebræis mutuatum hunc fuisse morem conseruandi ignem, quamuis per abusum, vt alia pleraque, ex malitia dæmonis in idololatriam sacrilege fuerit conuersus, & superstitione vel impietate contaminatus, vt nomen ipsum Dei & cultus eius. Dicunt Hebræi quippe ignem *esch* vnde Esta: & addita litera V. Vesta Latinis & ἑστία Græcis, consentit Ouidius.

Fastor. vt refert Niceph. Calixt. lib. 14. c. 9.

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittet.

Conseruarunt ignem sacrum etiam perpetuum magi Persarum sed illum adorabant: & quod erat tantum symbolum, repræsentatio, quæ in aliqua parte diuinitatis, & creatura, finxerunt esse Deum & Creatorem, donec Abdas illorum Episcopus, ipsum sustulit, & quia non passus

Vt ait Martinus Cromerus lib. 15. in principio de rebus personarum.

passus est dehinc destitui sub Varanne Rege Persarum martyrio coronatus est, Lituani quoque, antequam ad fidem vocarentur, ignem pro Deo colebant, & eum in celebrioribus locis atque oppidis, perpetuum asseruabant. Inualuit mos alicubi etiam inter ethnicos, vt diis suis incenderent cereos, & lumina in venerationibus celebrioribus festorum accenderent, vt fiebat Saturnalibus. Imitati veram religionem, in qua coram ardebant lucernæ & candelabrum die & nocte ex Dei præcepto, non ad illuminandum solem, sed ad symbolum, Tertulianus, & hunc morem in solemnibus lætandi diebus cum lampadibus testatur. *Cur*, inquit *die læto non laureos postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus.* Et rursum. *Procedit de ianua laureata & lucernata.* Eo pertinere videtur parabola de Virginibus quæ obuiā ierunt sponso, cum lampadibus. Hinc & symbolum ignis sibi prælucere Principes didicere, vtpote qui imaginem Dei præferunt, sicut his verbis Ecphantes Philosophus Pythagoricus scribit ὁ βασιλεὺς ἕν καὶ μόνον τῶ ἀνέωτερω βασιλέως τῶ μενεπεποιηκότι γνώρειμον ἀεὶ, τοῖς δ᾽ ἀρχομενοις, ὡς ἐν φωτὶ τῇ βασιλεία βλεπομενον. *Rex vnicum & excellens quoddam opus est, imago superni illius regis Creatori, suo s.mper familiaris à subditis vero regno tanquam lumine conspicua.* Sed videamus quæ sit repræsentatio in ignis corpore, vt inde colligere valeamus, quare & in sacrificiis, & in venerationibus diuinis Dei & hominum, vsi fuerint, vel abusi antiqui, ignis prælatione & vsu. Basilius itaque Magnus, duo in igne notat esse potissima: Vim vrendi, vel vim illuminandi, in altero illorum ponitur pœna, qui ob peccata cremari igne digni sunt, *Alterum.* Vero splendoris eius & lucis, hi plane sortiuntur, qui diuinæ obtemperant voluntati. Vox itaque Domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obscurus quidem sit ignis supplicij, vi vero comburendi careat lux illa refocillationis: & iterum. *Est quædam natura corporis quam defæcatam vocant, quæ in flammam constituta in carbonem conuerti videtur, inde vero erepta, quasi per aquam abluta & purgata, purior redditur.* Si de natura & proprietate ignis dicere vellemus, instituendus esset liber integer, isque valde magnus. Interim ex Physicis, illa erit annotanda ad symbolum accommoda, quod igne excepto, omnia putrescunt, *Ignis segregat ea, quæ non sunt eiusdem generis, & cõgregat ea quæ sunt eiusdem generis.* Et congregatio est per se, disgregatio per accidens, Talis & debet

esse

Macrob. lib. 1. Saturnalior c. 11.
Exod. 25. & 27. & 7. 40. Numer. c. 8. 1. Reg. 31. Machabeorum c. 4. vers. 50.
In Apologetico c 34. 2. ad Vxorem.
Matthæi 1. c. 25.
Lib. de regno.
In Psalmũ 28.
Sermone 1. de ieiunio.
IGNIS NATVRA.
Arist. meteorog. c. 2.
Arist. 3. de cœlo, textu. 74.

esse Princeps, qui in vitiis putrescere non debet, subiectos in pace congregare, discolos per accidens separare. *Ignis*, in tenebris visitur, non quia ignis neq; calor, sed vt participet quodam modo naturam quinti elementi seu ætheris incorrupti. Talis Princeps esse debet, & lucere & regere non ex calore iracundiæ, aut crudelitate, quæ in igne est, dominari, sed vt particeps potestatis quinti & supremi ætheris, nempe Dei. *Ignis* habet lucem in sua natura: sed eius lux non apparet nobiscum, nisi materia aliena, nisi propter subtilitatem, talis potestas Dei in Principe. Dicit Albertus Magnus, *ignem nostrum visibilem, non esse speciem specialissimam, sed diuidi in Carbonem, in flammam, & lucem.* Quare putare debet Princeps in se habere Carbonem, terreum quodpiam, Vasallis hominum corporibus simile, obnoxium terrenis infirmitatibus, humanum, quantumuis conspicuum, à quo si Lux, quæ aliis prælucere debet, adimatur, simile vel inferius aliis esse potest. Igneum in spiritualibus angelis, & in visionibus, significare sentit Diuus Dionysius Areopagita cœlestium animorum Dei formosissimum, *Ipse enim*, inquit, *Theologi sancti, super essentialem & informem essentiam in igne sæpe describunt, tanquam habentem diuinæ (si fas est dicere) proprietatis quantum inuisibilis, imagines. Ignis sensibilis est quidem, sic dicendum in omnibus, & per omnia clarè venit & remouetur omnibus, & Lucidus est simul & quasi occultus, incognitus ipse per se ipsum non occumbente materia in qua propriam manifestare actionem immensurabilis & inuisibilis per se ipsum, potens simul omnium, & quæcunque in eis fiunt, ad actionem propriam mobilis, tradens se ipsum omnibus quoquo modo proximantibus renouatiuus naturæ custodia, illuminatiuus circumuallatis splendoribus, incomprehensibilis clarus, discretus, resiliens, sursum ferens, acutè means, excelsus, recepturus contumeliam minorationis, semper motus per se ipsum motus, mouens alterum, comprehendens, incomprehensus, non indigens alterius, latenter crescens, &c. & incomprehensibiliter palpabilis, & alias huiusmodi proprietates habens.* Sic Verbum Dei, & Lex eius debent semper adesse Principi, vt secundum ea iudicet, & hoc est, quod Dauid dixit, Rex optimus. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum Domine, & lumen semitis meis.* Hinc & vita nostra est veluti lucerna, ex splendore vitæ æternæ procedens habens immortalitatem, vel mens & diuina cognitio, Lucerna Domini spiraculum hominis. *Signatum est super Nos lumen vultus tuis Domine*, proinde ait, vates Hebræus

Vt ait Themistius. 2. de anim. c. 24.

Psalm. 14.

Psalm. 4.

Quæ admonere debent Principem, quod prælucere debeat subditis bonis operibus, in vita, & disciplina.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Insignia prætereà Regum & Magistratuum Romanorum erant fasces, virgæ, securis, sceptra, corona, quæ in Imperatore & Rege Romanorum olim triplex, Aurea, Argentea, Ferrea. Hodie in Bulla aurea Caroli IV. capit. 24. traditur, *Antiquum morem & conseruatum, vt Regis Romanorum futuri Imperatoris, in Ciuitate Francofurtensi celebretur electio, & prima coronatio Aquisgrani & in Oppido Nurembergensi, vbi & prima sua regalis curia haberetur,* Et in Capitul. 22. traduntur insignia Imperatoris quæ præferuntur, & in processione solemni per Electores, primum ponitur ensis regalis, vel Imperialis, quem defert Dux Saxoniæ proxime & immediate ante Imperatorem & inter illum & Archiepiscopum Treuirensem medius, à latere dextro Ducis Saxoniæ, est Comes Palatinus, pomum Imperiale portans: à Sinistro Marchio Brandenburgensis, sceptrum deferens, pone verò Imperatorem immediate Rex Bohemiæ sequitur.

DESCRIPTIO COLLI, QVO IMPERII Capiti, Corpus cohæret.

QVomodo autem hac in parte contractus correspectiuus inter Principem & Populum intelligatur fieri, illud omnium bellissimè expressit *M Antō. Petilius in Exarchijs, siue de Exterioris Principis munere.* Cuius verba, ad Personam Principis directa, non possum, quin huc transcribam: *Sunt fere hæc: Quo magis procederet noua quadam cognatione politicâ inuicem initâ, vt Princeps esset subditis in patrem, subditi ipsi in filios, legem Princeps & populus posuere, quâ quæ filij Patribus, quæ Patres filijs debent, inuicem promittentes, mutuum quasi celebrarent contractum, non pro se solum, qui præsentes essent, sed pro his etiam, qui longius distarent Hanc celebrationem, etsi tacito naturæ ductu fictam, quasi so emniter factam tamen repræsentare lubet, vt quasi tecum ipso celebratum contractum agnoscas. Nam & ideo populi ratihabitionis formulam, à sacris Literis in eiusmodi adhiberi solitam, huc traduxi. Tu igitur, scil. Princeps, populum solemnibus coactum Comitijs,*

Lib. c. 17. fol. 16.

mitijs, necessitate veluti rogante, subijciente ratione, quasi scriba, in, quæ sequitur, formam rogatum, & respondisse putato. Quod bonum, felix, faustum, fortunatum & salutare fiet. Vultis ne? iubetis ne omnes vno animo populi, vnum ex vobis supra vos asciscier, qui vobis in Patrem, Dominum, Principem, Imperatorem, Patronum, & quo voluerit honestiori nomine censeri, se præbens, exactam de vobis tam prope quàm longe curam bona fide & sine fraude gerat? Et respondet omnis populus, AMEN. Profitemini vos illi, parē & honori & oneri & nominibus hisce, reuerentiam exhibituros? Et respondet omnis populus, AMEN. Sed & tributa & vectigalia depensuros? & regalia quæuis alia concessuros? Et respondet omnis populus, AMEN. Quæque iustè præceperit, in annos, in menses, in hebdomadas, in dies, in horas, pro ipsius voluntate sua, alacri studio & hilari fronte exequuturos? Et respondet omnis populus, AMEN. *Contra verò, petitis ne panis saltem copiam hodiè semperq; vobis, ille vigili studio procuret? Et respondet omnis populus,* AMEN. *Vt & dilectione vos pari diligat, qua vos alterutrum diligetis? Et respondet omnis populus,* AMEN. *Præcipuè verò, ne vobis vlli sit causa, quo à præsenti lege recedendi author ipse sit? Et respondet omnis populus,* AMEN. *Quum ab omni malorum impreßione, internorum, externorum, ciuilium, hostilium, summo conatu vos, præsentes, absentes, liberosq; vestros, vestrosq; lares defendat liberetq;? Et respondet omnis populus,* AMEN. Hæc contractus celebritas, hoc veluti chirographum sit, & tui ipsius, & populorum ipsorum iureiurando sancitum: quod pacta conuenta alteri ab altero seruanda contineat. De quo mihi dicere liceat. Addite verba pacti huius, & discite illa, vt sit quasi signum in manu amborum, & quasi monumentum præ oculis, ac sane tanquam lex Domini semper in ore. Quod autem populi ipsi te in Principem sua sponte nuncupant, asciscuntque, non Tu populos, promanat contractus, eiusque leges, ex ore populorum totus, vt qui se tibi vltro subiiciunt, subiectionis leges sibi ipsi scripsisse videantur. Ea tamen æquitate librătur, vel nil excedens alterum ab altero deberi pateat, quando tria tibi ex lege offeruntur; *Reuerentia: tributum: obedientia: & tria ex te rursus repetuntur; vbertas: Beneuolentia, Defensio. Planè si subuentio, gratiarum actio & reuerentia debetur omni benefacienti, si vbertas, beneuolentia, defensio omni seruienti, omni iure mutuo debentur hæc, quando omni conatu mutuo præstantur illa. Certe nihil plus his vos vobis mutuo debere ita conspicuum est, vt neminem in discrimen adducturum putem.* Ita quippe, vt ex simplici quadam boni & æqui ratione

Tria Notabilia, inferius deducenda punctatim.

tione intelligantur, hic omnia comprehensa, imo & nominatim expressa, quæ in bonæ fidei contractibus, iudiciisque & comprehendi & exprimi assuevere. Est igitur contractus integer, est & solennis, nam & publicè initus & iurisiurandi religione vltro citroque firmatus, eâ scilicet formula, qua vna & iurari simul & contractus vigorem autorari, traditum est. Hæc contractus summa: quam triplex ius, vnde totius vitæ ciuilis institutionem & legum compositionem formandam Politici duxerunt; *Naturale scilicet Gentium & Ciuile*; Natura enim ipsa comparatum est, vt subditi sint in Principem reuerentes, Princeps subditos alat; Gentium vero constitutum est, vt subditi Principem munerent, Princeps subditos diligat. Ciuile tandem institutum, vt subditi Principi obediant, Princeps subditos defendat; Nam & constat, iuris principia, vnde reciproca obligatio isthæc ortum duxit, partim ex iuris communis inclinatione enata; partim ex innato mentis humanæ iudicio; partim tandem ex præceptis institutisque vitæ ciuilis: Hinc factum, vt tria tantum in vniuerso iure obiecta sint proposita. Personæ, in quas Reuerentia cadit; Res ex quibus tributum confertur. Actiones, vnde defensio pendet.

Hactenus Petilius f. 16. L. 1. ff. de iust. & iur. inst. eod in fin. L parentes. ff. de in ius. voc. l. venia. Cic. in Cat. Rom. 13. Liuius. l. 44. Li: Testiũ. Petil. f. 17. in fin.

Quia tamen non ab omnibus ita passim dignoscitur, forte & à dignoscentibus nec agnoscetur: Ideò paulò expressius potest obligatio hæc ad decem Dei præceptorum instar, quasi radiis à Dei lumine deductis, ciuis bono Principi, veluti in memoriale proponendis diligenter intuenda exhiberi, simul è regione locatis totidem contrarijs alijs: hoc modo:

1.	Pater esto.	Ne	Ne Crudelis sis.
2.	Aeque foueto.		Deserere videaris.
3.	Bono nomini stude.		In malum incurras.
4.	Tributa moderator.		Onerando decidas.
5.	Obedientiam capta.		Extorquens amittas.
6.	Vbertatem procura.		Inops imperes.
7.	Crimina profligato.		Criminibus seruias.
8.	Quod bonum, ne muta.		Quid noui incurras.
9.	Subditos tuetor.		Inermis corruas.
10.	Religionem instilla.		Fidem amittas.

Et

Et hæc eiusmodi sunt, quæ bina superiora illa tria, vltro citroque, vtrique, parti debita, atque simul æternam cum Deo felicitatem complectuntur: Non aliter ac si expressis verbis, ad Principem dicerent: Hoc totius tractatus argumentum! Si Tu Te Nobis ter exhibueris, nos tibi ter promptos habebis, in tribus scilicet mutuo debitis creditisque, dandis exigendisque, inde futurum, vt post labores in terra exantlatos, perpetua sit nobis parata quies in cœlis. Et hoc quasi prœmio, ita te instructum cupere viderent, vt optimus Princeps celebreris, & in ciuibus Rector, & in hostibus Victor, habituris post terrenum cœleste regnum, adeo vt vita functus, non destitisse te esse Regem, non Regni gloriam amisisse, sed auxisse potius videaris. *Petil. fol. 23. de Exarch.*

Dictum est in postremæ tabulæ capite, Principem debere veram subditis instillare religionem. Vbi pulcherrime Imperator Iustinianus: Omnibus ait hominibus, qui recte sapiunt, manifestum esse putamus, quia omne nobis est studium & oratio, vt crediti Nobis à Domino Deo bene viuant: à religione enim tanquam firmissimo rerum omnium publicarum fundamento, subditorum fidem in Principes, obedientiam erga Magistratus, pietatem in parentes, caritatem in singulos, iustitiam in omnes pendere. Merito igitur cum *Aristotele 7. polit. c.* 8. Prima cura Religionis esto. Nam Princeps seu Magistratus supremus est, Ecclesiæ nutritius, Pugil, & Athleta. Atque ad Ecclesiam spectat religio, Eleganter in vtramque partem. Item cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest. Atqui administratio Reipubl. imperantium propria, & cui iurisdictio inest, sine religionis cura nequit explicari. Ergo. Vnde damnamus impiam illam Donati schismatici vocem: Quid est Imperatori cum Ecclesia? cum eius sit Aduocatus, & legitimus Pugil, Athleta aduersus Fidei, & Christiani Nominis hostes? Secundũ *Nouell. 77. in princ. L. 1. C. De Summâ Trinit. & fide Catholicâ.* *Bodin. de rep. 4. c. 7.* *Esai. cap. 49.*

Concludo igitur tecum, Sancta
MARIA.
Per Anagrammata duo.

1. *A, MARI,* 2. *Amari.*

Euolutio.
Est Venus Orta Mari, Purpura, & Orta Mari.

Inde, *Aquarum est*, inquit, S. Ambrosius, *quod in Regibus adoratur: aquarum est species illa, quæ fulget.*

PALLADIUM PACIS, D. MARIA Deipara.

Fabula narratur, Tritonida Nomen Athenis,
Imposuisse, sibi propriasq; dicasse, virenti
Cum quatiens terram, frondescere fecit Oliuâ
Palladis illa, Mariæ hæc, hæc Sacra, illâ profana;
Illa quidem ficta, vera hæc Mihi PACIS imago.

CAPUT II.

In quo repræsentatur Velle Imperatoris Velle, per Matrimonium Mysticum.

Summa.

Felle COLUMBA *caret,* PACIS, *quoq; gestat oliuam,*
Dum Castæ Fidei, connubiisq; tenax.

SPiritus Sanctus per diuersitatem linguarum cunctarum gentes in vnitate Fidei congregauit, vt canit Ecclesia *in Hymno*, Hinc in primitiua Ecclesia, Multitudinis credentium erat Cor vnum, & Anima vna: Eaque indiuidua vitæ coniunctio inter Marem & Fœminam apparet in Matrimonio, quod proinde Sacramentum sic honorabile est, vt humano generi videatur immortalitatem artificiosè introducere, & ex filiorũ procreatione renouata genera maneant iugiter Dei Clementia, quantum est possibile, nostræ immortalitatem donante naturæ, Ideoque mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter nec vir sui, sed Mulier. Hoc mysterium adhibuit semper Dominus Deus, & quidem ab initio in REGIMINE populi sui, In Lege enim Veteri sapienter Populus in duos Ordines distributus fuit, quorum alter ciuilibus officiis, rebusque familiaribus, publicisque administrandis, vt inseruiret, alter esset diuino cultui, sacrificiis, cæterisque actibus religiosis deditus. Sic etiam tempore gratiæ eandem rationẽ conser-

Actor. cap. 4. Nouell. Iustin. 22 & L. 220. §. 3. ff. De V. S. Genes. 2. vers. 24. Matth. 10. v. 5. 1. Corinth. 7. vers. 4.

conſeruauit, quamuis ſublimioribus myſteriis ſociatam, ac mediis longè præſtantioribus, ac venerabilioribus munitam, voluitque hos, qui diuino cultui dicandi erant, per Epiſcopum Sacro & Spirituali quaſi connubio deuinctum, ſolennibus ceremoniis, legitimâque manuum impoſitione, & annuli traditione initiari, ac veluti, Prolem Eccleſiaſticam propagari, quæ ſanctæ ipſius Eccleſiæ ſucceſſione perpetuò ſeruiret, qui proinde vnius vxoris vir eſſe debet. Similiter inter Dominum & Vaſallum debet eſſe Ἔρως Ἀντέρως, id eſt, Amor Mutuus, reciprocus, & verè coniugalis, hinc appellantur inuicem coniuges, & Amici, quos non eſt æquum inter ſe videre egentes, & propter Fidem reciprocam dicuntur iudicari ad paria, vt ceſſet omnis Ἔρις, ira, & Erynnis, ſit Iris, & Εἰρήνη id eſt Pax, confirmat hoc ipſum, R. P. Iohannes Roo, Societatis Iesv, in einer Predigt/von der Prageriſchen Victori, in deme er nennet das Ertzhauß Oeſterreich/ deß Heyligen Römiſchen Reichs Eheweib. Myſticum hoc coniugium renouatur quotannis, ipſâ Dominicæ Aſcenſionis die, dum Dux Venetiarvm, cum Magna Senatus parte, Bucentauro purpurâ, & auro inſtrato, Mare deſponſatum, ad ſinus fauces progreditur, inauratoque annulo è puppi in ſubiectum pelagus proiecto, ità fatur: *Deſponſamus Te Mare in ſignum veri perpetuique Imperij*, Quem morem licet quidam tempore Papæ Alexandri III. & Imperatoris Friderici I. inoleuiſſe ſcribant: A primo tamen Venetorum Duce Priluizio Anazato Heracleano ſtatim introductum, & inde ad poſteros propagatum, ipſorum annales veroſimilius teſtantur, Effectus, vis & efficacia, myſticæ huius deſponſationis eſt, in *L. 2. C. Ne Fideiuſſ. dotium dentur.* Vbi textus ait, *iniquum eſſe, vt cum mulier ſuum animum, ſuamq; vitam marito credat: bona non committat: fidemque magis alieno homini, id eſt, fideiuſſori habeat, quàm amicitiæ, fideiq; communi*, argumento à Maiori ad minus. Hinc mulier compellat maritum ſuum hoc elogio. *Cum petenti mihi, à te, Domine Cariſſime, adnuerit indulgentia Tua. l. 57. in pr. ff. De Donat. inter. vir. & vxorem.* Cuius Veri, & Sinceri Amoris coniugalis Nobile paradigma recenſebo. Cyrus Perſarum Rex potentiſſimus, vti *Xenophon* memorat, etſi Tigranem Armeniorum Regem bello exarmatum, vna cum coniuge, captiuum in vinculis haberet, humanitatis tamen obliuiſci noluit, & ſe quoque hominem, eſſe prudenter meminit,

1. Timoth. 3.

Lib. 2. Feud. tit. 72. lib. 2. Feud. tit. 6. in fin. tit. 52. in fin. tit. 26. §. 7. eod.

minit, cum itaque variam regum fortunam altiore cogitatione ſecum ipſe perpenderet, duos illos regios coniuges non ad colloquium tantum, ſed & ad menſam ſuam adhibuit ipſe velut conuiuator & Cænæ Dominus inter epulas variè facetus, nec ſinè riſu hilaris. Demum conuiuarum animum exploraturus. Dic Tigranes obſecro inquit, pro tuâ coniuge? quod mihi redemptionis pretium das? Cui Tigranes libere: Equidem Regnum darem in lytrum, ſi tua fortuna id mihi non inuidiſſet, nunc cum regno caream, caput meum in illius ſalutem promptè dependam, Mirificè delectatus Cyrus tam ſincero amore, in commiſerationis affectum libenter tranſijt, & vtrique libertatem, vnà cum Regno reſtituit. Tigranes, iam ſibi & regno redditus, coniugem interrogare inſtitit, quid ei de Cyri prudentiâ & magnanimitate, quid de forma videretur? Ad quæ prudens Regina: O, mi optime coniux, inquit, Non Ego, in Cyrum oculos, ſed in illum conieci, qui ſe capite ſuo libertatem meam redempturum pollicebatur; hunc Ego vnum aſpexi, dum inter Perſas egimus. Prudentiſſimum dictum: *Ei oculos iure deberi, cui nec vitam negare poßis.*

Quiſquis igitur Bonam Intentionem cordi, habes, Regium Va- *Pſalm. 15. verſ. 8.* tem Hebræum æmulare, & *Prouide Dominum in conſpectu tuo ſemper*, In hunc vnum tuus eat oculus, ſed vide, vt ſimplex eat, & Rectus, in hunc vnum tua feratur Intentio, ſed vide, vt pura feratur & ſincera, nec aliorum quicquam adſpiciendum eſt, niſi per hunc vnum, aut in hoc vno, ſcilicet, Imperatorem Noſtrum diuinitus conſtitutum.

Vt Aſſuero Regi pararentur Virgines, ex omnibus Regni Prouinciis lectiſſimæ adducebantur in SUSAN METROPOLIM; his annus erat in vno corporis cultu tranſigendus, iuxtà illud Comici. *Dum comuntur, dum coluntur, annus eſt.* Et quæ non lotiones? frictiones? polituræ? vnctiones adhibebantur? Tanti erat Regiis oculis placere, vt faciunt Heroinæ, & Regum filiæ, quæ Principum oculos in ſe conuertere ſtudent: Hinc ait, *Pauſanias*, apud Herodotum. *Lib. 9.* Sufficit mihi, vt meis Spartanis placeam, Et Zeuxis præſtantiſſimus Pictor Venerem depicturus, ex pluribus pulcherrimis virginibus, quod in eis venuſtiſſimum iudicabat, ſeligebat. Et ſubditorum voluntas, ab omni ornatu imparata, velut Ruſticana Mulier ex agro, accuratam veſtimentorum lautitiem, & repetitam ſpeculi caſtigationem negligens,

gens, contenta placuisse Bubulco, & Porcario suo, in Imperatotis Sacratissimi Nostri amplexus ruere non vereatur? Vt ergò norit Imperijcolæ subditi VOLUNTAS, Imperialibus oculis, tùm demum se placituram, si non tantum minimos etiam nævos conetur abstergere, sed ea sibi ornamenta comparare, quæ Cæsaream voluntatem invitent, ad hoc cum eâ connubium. Summi Sacerdotis Aaronis vestis, in quâ diuino cultui operabatur, tanti pretii, & pulchritudinis erat, non solum, quâ materiâ, sed & quâ arte, vt omnium Imperatorum, ac Regum vestes, cum eâ nequaquam conferri possint. Beseleel maximus artifex, vestem illam confecit, sed maiorem se artificem habuit Spiritum Sanctum, qui dictauit, qui conficiendæ modum præscripsit, & ipsi magistro, velut puero manum duxit; De hac Veste *Siracides. Si pulchra*, inquit, *ante ipsum non fuerunt, talia vsque ad originem Gloriæ honoris, & opus fortitudinis, Desideria oculorum ornata.* Quicquid in hoc genere venusti, vel luxuriosissimus oculus desiderarit, id in vnâ hac veste spectare potuit: *Desideria oculorum.* Omnem vel auidissimi oculi cupidinem satiauit hæc vestis, nil pretiosius, nil & pulchrius in opere non maximo videre quisquam optauit.

Hoc Dominus Deus eo fine voluit, vt summus Sacerdos ad templum progressus, omnium oculos ad se raperet: ea etiam de causâ ad huius vestimenti imum marginem, trecenta sexaginta sex aurea tintinnabula iussit appendi, vt ipso Sacerdos incessu, ad hoc spectaculum vndequaque omnes conuocaret. Nec erat, qui non oculos suos in hoc spectaculo libenter perderet, Interea tamen huic ipsi summo Sacerdoti, qui omnium in se oculos conuertit, in neminem oculos emittere licuit, ab omnibus aspiciendus, neminem ipse debuit aspicere. Voluit enim Deus, vt iuncti Sacerdotis oculi in vnicum ineffabile Dei nomen irent, quod ea de causa Sacerdos aureæ laminæ insculptum fronte præferebat. Nobilissimum hoc paradigma est hominis subditi Imperiicolæ ex asse probi. Homo seriò bonus in se spectandum præbeat, quicquid Castis oculis videre in voto est: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Hinc Vates Iessæus. *Ad Te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis: Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: Ità oculi nostri ad Dominum Deum Nostrum.* In hoc tali homine opulenti videant exemplum, *Ad Tit. cap. 2. vers. 7.* *Psal. 122.*

 obedien-

obedientiæ, erga Sacratissimum Dominum Imperatorem, à Domino Deo ordinatum; Præterea, Pietatis, Rectæ intẽtionis, indissolubilis & permanẽtis Fidelitatis, continentiæ: Ignaui & desides industrię. Sit denique tale desiderium oculorum Sanctorum: Sic luceat lux vestra, coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Enimverò, qui aliorum oculos, vitæ sanctioris exemplo, ad se trahunt, ipsi suos oculos nequaquã in sui spectatores emittant, vt ipsis placeant, sed vt ab ipsis discant, vnum atque vnicum Dei honorem, spectent in omnibus, velut Aaron solum frontale suum oculis admittebat: Ita hi solum Deum obtutu assiduo contemplantes, laudem etiam oblatam, respuant, & à se deriuent in Deum, quantumq; sibi ipsis displicent, tantum soli Deo cupiant placere, per veram sinceramque in omnibus intentionem, In Epithalamio diuino Regię Virginis oculos mirificè cõmendat Regius è cœlo sponsus, sed per similitudines dissimillimas: ita, vt homo cœlestium arcanorum rudis, non immeritò quærat: quæso, an sponsus hic temulẽtus est, quibus verbis sponsam laudat. *Oculi tui*, inquit, *columbarum.* Et *oculi tui sicut piscinæ Hesebon.* Ecquid oculis columbinis cum piscinâ? quid minus sibi simile, quam oculus, & amplissimum stagnum? Mysterium texit diuinus Spiritus, eleganti inuolucro. Oculi, columbinis oculis sunt similes, vt videant, Piscinis Hesebon conferuntur, vt videantur: Hesebon vrbs regia, Hieronymo teste, viginti milliaribus distabat à Iordane. Ad huius portam vnam, duæ erant nobilissimæ piscinæ Crystalli æmulæ. Huc populus feriatis diebus cateruatim, effundebatur animi causâ, ad spectaculum Crystallini maris. His ergo piscinis pœnè quotidianum erat, videri. Et hinc Sanctus Spiritus oculos sibi placentes, & piscinis confert, & columbarum oculis. Et principio quidem comparat oculis columbinis: Columba, omnium gentium sensu, symbolum erat, mutuę fidelitatis coniugum, cum alter alterum pari fide respicit. Et hoc cœlestis sponsus in animâ castâ dilaudat, oculos eam habere columbinos: Oculi tui, ait, columbarum oculi, fideles, & casti, quos in me solum deflectis, & quos ego solus expleo, neque enim agendo alium quàm me respicis, Et *ad me conuersio tua.* Et velut alteruter coniux oculos à coniuge diuertens adulteræ, mentis suspicionem mouet: sic Anima, si oculum intentionis, in aliud

quid-

quidquam in Deum conijciat, fidem fallere, & aliis à Deo placere se velle ostendit, nam quæ fidelis est, illud assiduè ingeminat: *Tibi dixit Cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Oculi mei tam amplæ simul & angustæ capacitatis sunt, vt præter te, mi Deus & Imperator, capiant neminem, nec vllius oculis seruiant, quã vestris. Eam ob causam tam fideles columbarum oculi, etiam piscinis Hesebon conferuntur, vult enim Deus sibi caros ab omnibus videri, vult omnium oculos in illis defigi, vt superbus in ijs intuendis, discat quam eximia sit Virtus, Humilitas, vt auarus cernat, quid possit liberalitas, vt impurus videat, quam decora sit Castitas; vt iracundus norit, quid præstat Mansuetudo, & placabilitas, vult Deus amicos suos esse, velut piscinas Hesebon, quas plurimi contemplantur, è quibus hauriant, à quibus virtutum exempla capiant. Et quamuis hæ piscinæ videantur, non tamen sentiunt se videri, neque alios ità vident, vt ijs placere cupiant. Prorsus, vt Aaron, qui omnium in se oculos recepit, ipse suos in neminem ausus emittere.

CAPUT III.

Magnum Imperij Corpus magnâ animandum est mente, Et cum animus, non sit vbi animat, sed vbi amat, hinc infertur, quod Amor, sit PACIS Pater.

SI quid est vspiam in natura humana magni pendendum, perpetuam nobis quod pacem generet, vnum hoc, & omne, nihilque aliud constat esse, quam Amorem, quo nihil sublimius, nihil præcellentius, nihil expetibilius inueniri potest quicquam. Omnia nostra terminabuntur in bonum, si hic solus nobis præsto sit, Amor. Hic cui adest, nihil prorsus deesse potest, tanta eius potentia, tanta sublimitas, tanta gloria. Qui hunc repudiat, nullus existit. Idcirco de *Amore* tanquam de virtutum omnium summo apice, maximeque expetendo; hic differere constitui, & quid de illo olim didicerim, & expertus fuerim narrare. Moyses ille Sanctissimus Hebræorum legislator, in princi-

principio libri creationis Mundi, his verbis amorē explicat, inquiens: In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abijssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquis: Dixitque Deus fiat lux: & facta est lux. Hoc exponentes & Hebræorum & Christianorum Doctores, Mundum informem & inuisibilem significari dicunt: Spiritum autem Domini spiritum amoris, qui pulsa discordia ex informi & inuisibili chaos, produxerit ipsum Visibilem mundum formarum & lucis plenissimum. Proinde Hermes atque Orpheus, Amorem in ipsius chaos sinu locauerunt, cœterisque Dijs omnibus fuisse priorem. Et Phœdrus apud Platonem, vocat illum Deorum omnium antiquissimum. Et Plato causam, cur mundum hunc creauit Deus: Empedocles causam Bonorum omnium: Euripides autem cooperatorem sapientiæ. Plerique Poetarum Herebi filium dicunt. Sed nolumus hic Poetarum figmenta in testimonium adducere, dum volumus vera prosequi. Ideoque Catholicorum Doctorum sententiam audiamus. Hi dicunt Deum esse Amorem, atque ex Deo omnem amorem procedere. Hoc Prophetæ, hoc Apostoli, hoc vniuersus Theologorum ordo affirmat. Sic sacer Dionysius primum Amorem in Deo propria sua luce accensum foras resplendere dicit, & fulgore suo per varias creaturas diffuso, varios in illis amores inspirare. Hic omnia continet, hic terram cum cœlo conciliat, omnia perficit, superiora ad inferiora inclinat, æqualia coniungit, & inferna ad superiora conuertit. Hæc de amoris antiquitate & origine hactenus. Nunc quid sit Amor, definiamus: cuncta enim per definitionem, vt Dialectici testantur, apertiora sunt, & magis elucescunt. Amorem itaque beatus ille Dionysius definit, esse virtutem vnitiuam. Augustinus, appetitum rei propter se ipsum. Bernardus, ordinatam & vehementem voluntatem ad bonum. Alij Theologi dicunt, esse coniunctionem amantis cum amato. Nonnulli desiderium possidendi, vtendi, fruendi, opinati pulchri & boni. Plerique esse spem irrequietam, timori coniunctam. Tullius dicit, Amorem esse, bene velle. *Seneca*, vigorem animi & excessum mentis. Dantes, esse inclinationem animi in rem concupitam. Marius Æquicola, esse desiderium boni, quo illud nobis semper adesse & possidere cupimus. Peripatetici fere omnes dicunt, Amorem esse argumentum beneuo-

beneuolentiæ, propter apparentem venuſtatem. Academici autem, eſſe deſiderium fruendæ pulchritudinis. Omnes tandem conueniunt, in hac ſumma, non aliud eſſe amorem, quam deſiderium pulchritudinis. Et hæc apud omnes Philoſophos & Theologos propria Amoris definitio habetur. Illud enim quiſque amat, cuius pulchritudinem diligit. Sic Angeli, diuinam pulchritudinem: homines corporis ſpecioſi figuram diligunt. Pulchritudo autem omnis, ſiue incorporea ſiue corporea ſit, nihil aliud eſt, quam diuini vultus ſplendor, in rebus creatis relucens. Omnis igitur amans, nihil terrenum, nihil corporeum, nihil humanum, ſed diuinum aliquod amat. Atque hinc eſt, cur in illis, qui corporis formoſi figuram diligunt, nullo prorſus formoſi viſu, tactu, ſenſu & vſu, amoris incendium extinguatur, non vnum corpus hoc vel illud deſiderant, ſed aliud quiddam occultum præter corpoream formoſitatem circa formam illam latens, per corpus illud formoſum refulgens, quod amantes clam affectant, ſtupent, amant, & admirantur. Quocirca quid potiſſimum cupiat, quod quærat, quid patiatur amator, ignorat: Eadem ergo plerumque accidit amantibus, quod amati aſpectum quodammodo timent, verentur, verecundantur, & venerantur. Quod etiam quicunque potentiſſimi ac ſapientiſſimi etiam circa infirmum quoduis amatum patiuntur: quia non humanum aut terrenum eſt quod eos occupat, quum vis humana ſit in illis longe excellentior. Quid ergo niſi diuini vultus atque luminis ſplendor, in ipſo formoſo corpore, quaſi Dei Imago emicans, & amantes omnes ſtupeſcere compellens? Nonne Salomon ille ſapientiſſimus Iudæorum Rex, atque Ariſtoteles Peripateticorum Princeps, vtrique amaſijs ſuis diuinos honores exhibuere? Stultiſſimi profecto, niſi forte non mulierem in muliere, ſed Amorem ipſum ipſamque ſummam pulchritudinem in quodam ſui repreſentatiuo ſimulachro adorarint. Vultis modo amorem ipſum, rem prorſus diuinam vobis latius declaremus. Non poterit Id fieri, qui cœleſtia capere vix poſſumus, niſi cogamus ipſum ad moralem noſtram Philoſophiam deſcendere. Et quomodo ſponte ſua omnes virtutes, omneſque moralis Philoſophiæ partes ipſe & regit & complectitur & moderatur, oſtendamus; Temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam & prudentiam: Vnde Auguſtinus ait: Amor eſt temperantia, qua amans voluntatem

ſuam contemperat, & ſubdit voluntatem amati. Eſt fortitudo, quia omnia ſuſtinere paratus eſt propter amatum. Eſt Iuſtitia, quia ſolus ſine metu & odio cum ratione dominatur. Eſt prudentia, quia omni ſapientia adornat amantem, & ſolus præuidere poteſt futura, & eligere bona. Anima enim amore vacua, neceſſario maleuola eſt, in quam, teſte Scriptura, non intrabit ſapientia: quē idcirco *Hieronymus* tenebroſam vocat. Virtuti autem dat operam omnis qui amat, vt amoris viciſſitudine dignus ſit. Præterea, cum amor ipſe pulchritudinem ſemper deſiderat, omnes turpes & inordinatas cupiditates aſpernatur: hinc amator omnis à turpibus abſtinet, decora ſemper & magnifica ardenti amore aggreditur, quatenus placere conatur amato: & ſtudens placere vni, placet omnibus: Obſcæna fugit, oditque deformia, ne contemptui ſit amato. Concupiſcentias omnes terrenaſque ambitiones, dignitatum, honorum, diuitiarum facile contemnit, & præ Amore, pro nihilo habet: nec immerito quidem, quum diuina humanis longe ſint anteponenda. Vnde Titius Maximus ait, Amorem ſic adhærere pulchritudini, vt de nulla alia re eſſe poſſit. Ideo ait impropriè dici, Darium amare diuitias, Xerxem imperium, Ageſilaum honorem, Calippum aurum: cum ille non ſit amor, ſed ſpecies quædam deſiderij voluptatis, quod ſæpe tendit in perniciem: Pulchritudo autem nunquam eſt pernicioſa, neque ducens ad malum. Quia igitur amor omnis pulchritudinem deſiderat, liquido apparet, hunc carnalis libidinis appetitum, non Amorem eſſe, ſed Amori maxime contrarium: quoniam ea rabies & laſciuia ad obſcæna trahit & deformia: deformitas vero & pulchritudo maxime inuicem contrariantur: neceſſe igitur eſt, Amori libidinem eſſe contrariam. Præterea cum omnis pulchritudo, vel eſt ſpiritualis, vel vocalis, vel corporea, illa mente cognoſcitur, hæc auditu percipitur, iſta viſu cernitur: certe amator omnis, ſolis, contemplatione, auditu, viſu, fruitur amore: reliqui ergo ſenſus & appetitus, puta, tactus, guſtus, olfactus, oſcula, baſia, ſuauia, amplexus, non ſunt amoris, ſed petulantiæ & laſciuiæ, habentes quidem vmbram quandam Amoris, veritatem autem eius abnegantes. Quare hunc laſciuum & vmbratilem amorem plerique deſcribunt eſſe, abſconditum ardorem, delectabile vulnus, dulce venenum, gratam amaritudinem, amabile malum, lætum ſupplicium,

blandum interitum, cuius Comites sunt: timor, spes, suspicio, solicitudo, zelotypia, pœnæ, tormenta, cruciatus, languores, dolores, dissidia, iræ, lites, reconciliationes, Querelæ, blasphemiæ, maledicta, lachrymæ, suspiria, fastidium, pœnitentia & innumera alia similia. Verus autem amor in virtute, non in lasciuia est: ipse enim continentia & temperantia omnem obscænam libidinem procul pellit, verecundia sua domat omnem appetitum, qui honestati aduersatur, honestate sua omnem illicitam concupiscentiam vincit. Vbi verus & integer amor, ibi omnis modestia, ibi omnis iustitia, ibi nulla contumelia, ibi perpetua pax. *Pacis Amor Deus est, Pacem venerantur amantes.* Vbi verus Amor, ibi securitas, ibi concordia, ibi fœlicitas, ibi communia omnia; Contra nulla pericula, nullæ insidiæ, nullæ dissensiones, nullæ miseriæ, nullæ lites, furta, homicidia, neque prælia. Porro, quod infinitæ pene leges & vniuersa moralis Philosophia contendunt, & vix tandem assequuntur, solus Amor breuissimo tempore præstat, solo enim in Amore consistit, vt vitatis malis, turpibus, iniustis: bona, honesta, & iusta sequamur. Sine Amore iustitia est causa belli: fortitudo non est sine iracundia, non prudentia absque malitia, non temperantia sine impatientia. Vbi Amor adest, ibi virtutum omnium vnio & concordia. De fortitudine etiam Amoris nullum nobis dubium sit: quid enim Amore fortius, quid magnificentius, quid potentius, cuius Imperio non solum homines, sed etiam Dij ipsi subiiciuntur: Vnde Orphæus atque Hesiodus inquiunt: Mortalium & immortalium mentes Amore domari. Phædrus apud Platonem vocat amorem Magnum Deum, Dijs hominibusq; mirandum. Idem apud Euripidē in vanū Græcos ait, Ioui Olympia, Apollini-Pythia sacra facere, quum solus amor adoratione dignissimus sit, cuius neque in cœlis, neque in abysso, neque inter nos mortales, neque inter Deos ipsos vlla maior potentia sit. Diis aliis Mars fortitudine præstat, Venus Sola hunc domat: Mars autem Venerem nunquam, quod apud Astrologos manifestum est. Hinc Seneca ait, Amorem potenter Regnare in vniuerso mundo, & Iouem indomitis flammis accendere, bellicosum Martem sua face compescere, fulmineum Vulcanum inter Aetneos ignes illæsum, vnica scintilla sua exurere. Quod si fortitudo aliqua in Audacia consistat, quid fortius, quid audacius amante, ad

quæque etiam pericula propter amatum intrepide ſubeunda. Omne in amore malum, ſi patiare, leue eſt. Nullum hominem ait Plato tam inertem fore aut ignauum, quem Amor non reddat æqualem fortiſſimo cuiquam. Hinc exercitum illum fore inuincibilem dicit, qui conſtat ex amantibus. Narrat etiam Plutarchus fuiſſe cohortem amantium, quæ ſacra ideo vocata eſt, quæque per multos annos durans, innumerabilia fortitudinis ſuæ experimenta dedit; Lacedæmonij etiam quoties conflictum aliquem inituri eſſent, amori prius ſacrificabant, eorumque ordines ex amantibus conſtituebant. Amoris potentia iubente (inquit Plato) animalia quæque ruunt in præcipitia, deſpiciunt pericula, manifeſtam mortem non excludunt: etiam minutiſſima & imbecillia quæq; animalcula, contra robuſtiſſima pugnare, & vel mori parata ſunt; Teſtatur Virgilius, piſces omnes & auiculas accendi amore nec vllo alio tempore Leones, Vrſos, Tigres eſſe Ferociores, tunc equos, non frena, non ſaxa, non rupes, non flumina retinent. Tunc bella gerunt Tauri, pugnantque alias timidiſſimi cerui. Sic inter cuncta animalia grauiſſima bella ſuſcitat amor, nec vlla maior vindicta, quàm quæ ob amoris iniuriam expetitur: omnem iram minuit, quæ propter Amorem ſuſcepta eſt, quod de Turno Virgilius, & de Medea oſtendit Seneca. Reddit enim Amor amantem, vt in propulſandis iniuriis fortiſſimum, ita etiam in perferendis laboribus patientiſſimum. Amor enim facit, vt libenter patiamur incommoda, feramus iniurias, exponamus nos periculis. Quot anxios dolores patienter ſuſtinuerũt Penelope propter Vlyſſem, Laodamea propter Proteſilaum, Porcia propter Brutum, Cornelia propter Pompeium. Et aliæ multæ illuſtres fœminæ, quantis ſeſe periculis, ob amorem virorum ſuorum obtulerunt, vt ne mortem ipſam terribilium omnium terribiliſſimum excluderent? Alceſte Admeti Regis Vxor, pro marito mori voluit. Idem voluit Tiberius Grachus pro Vxore ſua Cornelia. Laodamea proficiſcente ad ſacras Ilij pugnas Proteſilao exanguis corruit: deinde accepto, de illius morte nuncio ſuperuiuere noluit. Dido Phœniſſa poſt fatalem viri obitum, ne alteri iungeretur, ſe ipſam interemit, nec Portia poſt Bruti mortem ſupereſſe voluit, Quid de Amore Orphei ad Eurydicem dicemus? nonne Vxoris cauſa ad inferos vſque deſcendit?

Neque

Neque vero tam in obeundis periculis, quam etiam in excludendis potens est Amor. Nonne Amor Ariadnæ seruauit Theseum? Et Amor concubinæ Regis Numidarum, Marium? Quantum profuit Mosi Amor Æthiopissæ, & Alcibiadi Amor Tunicæ Reginæ Lacedæmoniorum? Sed & Amor Hester vniuersorum Iudæorum genus non solum seruauit, sed etiam maxime honoribus decorauit atque refecit. Denique quid profuerint Romanis amores mulierum in obsidione Capuæ, in Tarento, in Massilia, longum esset referre. Nonne amori Plotinæ debemus optimum illum Cæsarem Adrianum? notæ sunt historiæ quamplurimæ, tam de amore mulierum ad viros, quam virorum ad mulieres. Proinde fortitudinem Amoris, vel ex hoc apprehendite, quod amori omnia parent, ipse vero nullis. Omnia vincit amor, Dij cœlestes, homines & animalia & corporea omnia, sapientes, fortes, potentes, diuites, Reges, omnes amoris subiiciuntur Imperio, Amor vero nullius, Non diuitum munera emunt amorem, non vlla dignitas neque nobilitas. Nescit amor magnis cedere diuitiis, *Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.* Nescit amor priscis cedere imaginibus. Marcus Cato Patricius Romanus, Imperator potentissimus, Senator & Orator sapientissimus, plebeiam puellam arsit & in vxorem accepit. Simile fecit Pisistratus Atheniensium Tyrannus, accepta in vxorem, Thimonossa rustica puella. Alexander ille Magnus, præ omnibus adamauit, Romanam ignobilem fœminam, atque in vxorem accepit. Similiter & Magnus ille Demetrius ardebat Lamiam tibicinem, Et Magnus Pompeius Floram nobile scortum. Psammitichus Ægypti Rex Rhodopen meretriculam vxorem accepit. Quin & recentiori æuo fecit idem Andræas Palæologus Peleponnesi despotωn nobilissimus. Ea denique est amoris libertas, quod nullæ Regum potentumque minæ vt amemus cogere possunt: neque Deus etiam ipse cogit amorem, quia ab initio liberum fore decreuit. Ea est fortitudo amoris, ac potentia, vt vim omnibus inferat, solus ipse omnium effugiat violentiam, nihil est vspiam quod amorem effugiat. Amor omnibus inest & per omnia propagatur, estque omnium effector & conseruator. Vnde Augustinus animam citra amorem vocat extinctam, nec ea vacare posse, pudico vel impudico. Hinc Dionysius in libris de diuinis nominibus dicit, Amorem ipsum

vtcunque illum intelligamus, siue Diuinum, siue Angelicum, siue spiritualem, siue animalem, siue naturalem, esse ipsam insitiuam quandam commiscentemque virtutem, qua superiora ad inferiorum prouidentiam mouet, inferiora ad superiora conuertit, æqualia ad socialem secum inuicem dilectionem conciliat. Hinc causæ omnes effectus suos tanquam proprias suas imagines amant, similiter omnes effectus, causas suas tanquam sui conseruatrices redamant. Sic à superioribus descendendo. Deus Angelos, illi cum Deo animas, hæ cum illis corpora sua fœliciter amant, regunt & gubernant. Rursus ab inferioribus ascendendo, corpora animas suas vehementer diligunt, nec absque summo dolore ab illis separantur: animæ cœlestium gloriam, cœlestes summi Dei Maiestatem sanctissime amant atque venerantur. Hinc in ipsis supercœlestibus hierarchijs Seraphini omnium supremum locum tenent, qui non aliud quam amor interpretantur. Amore mouent intelligentiæ orbes cœlorum: Amore cœli inferioribus sua munera largiuntur: Amore, stellæ lumen suum in elementa diffundunt. Amor ipse est moderator omnium cœlestium motuum & influxuum, rector elementorum & conseruator omnium creaturarum. Hic radix vitæ, promotor salutis, extinguit languores, viuificat moribundos, illuminat sapientes, instruit ignorantes: reducit errantes, mitigat iratos, humiliat superbos, consolatur oppressos, promouet destitutos, Ipse est mansuetudo semper coruscans, seipsum solus exaltans, semper quærens occasionem benefaciendi. Ipse dator deliciarum, joci, leporis, facetiarum & oblectationum omnium, qui nulla læditur obtrectatione, estque omnium actionum nostrarum extremum desideratissimum. Hinc Orpheus appellat Amorem solertem, benignum, omnium claues habentem, omnium regentem habenas, Omnia Amore reguntur & existunt. Amor omnis generationis & propagationis autor: neque Deum ipsum, vt inquit Dionys. permisit in se ipso manere sine germine. Hinc homines & animalia omnia, amore rapiuntur ad procreandum sobolem, vt speciem suam quadam successione seruent perpetuam: vt reddant naturæ, quod mutuo acceperunt: Vt imaginem sui viuentem sculpant in filiis. Similiter Brutorum & hominum nulla generatio sine amore: Eo semoto, vacua plantis iaceret terra: nam herbæ plantæ & arbores amore sua semina propagant,

propagant, vt sibi similia gignant. Amor itaque non solum omnia facit, sed & omnia conseruat & auget, omniumq; est effector & conseruator. Tanta vis amoris est, vt solus possit humanum genus in perpetuo esse, in perpetua conseruatione, successione, honestate, virtute, temperantia, iustitia, fortitudine, magnificentia & pace seruare: quod neque prudentia, neque eloquentia, neque vis armorum atque legum absque amore efficere possunt. Ipse est moderator iustitiæ & æquitatis. Ipse fugat infamiam; compescit ambitionem, pellit odia, extirpat maleuolentiam, semper noua gaudia humanis afferens ingeniis. Nihil illi graue, nihil molestum, Nusquam superfluus, nusquam diminutus, semper sibi ipsi constans, & non excedens terminos mediocritatis. Ipse est autor omnis mansuetudinis, humanitatis, clementiæ, & liberalitatis, Quod de Alexandro erga filias Darij, de Masinissa erga Sophonisbam, de Iulio Cæsare erga Cleopatram testantur historiæ. Amorem vero esse prudentissimum, nemo est qui id vel de se ipso non sentiat. Ipse mentem nostram eleuat, & nobilissimarum inuentionum capacem reddit, acuit sensus, excitat ingenium, remouet omnem inertiam & rusticitatem, exornat virtutibus animum, naturæque defectus arte supplet, etiam corpus eleganti habitudine decorat, munditia continet, hominem cum lætitia & hilaritate in vita conseruat. Ipse est Magister, ductor & via in omni actione nostra. Ipse principium fœlicissimum, medium firmissimum, finis perfectissimus, radix vitæ, conseruatio humanæ speciei, ratio naturæ, & copula vniuersi. Ideo vocat illum Hesiodus, omnium principium, per mundum omnibus præuidens; Plutarchus vocat, Deorum ministrum; Orpheus etiam necessitati anteponit, & tribus illis in exorabilibus Parcis imperare dicit, prudentiæ autem eius experimentum ex innumeris illud habetis lucidissimum, quod recitat Bocatius, de Simone Cyprio, qui ex stolido & rusticissimo, ob amorem puellæ cuiusdam, subito euasit humanissimus, disertissimus, strenuissimus, & prudentissimus. Est igitur amor prudentissimus, siquidem hebetissimi quique, amoris radio aspirante, hoc est, amando redduntur acutissimi. Reddit enim amor amantem, ad res gerendas, prudentem & magnanimum, ad loquendum disertum & facundum, ad conuersationem hominum facetum, ad ludos iucundum, ad seria quæque consultissimum. Reddit

Amor

Amor amantem, in actionibus cautum, circumſpectum, prouidum, in ſtudiis docilem diligentem & intelligentem: in conſultatione rerum omnium ſagacem, ſolertem & ſapientem. Si amare ſtultum, aut turpe eſſet, non amaſſent tot illuſtriſsimi pariter & ſapientiſsimi viri, Adrianus, Titus, Alcibiades, Themiſtocles, Potus, Demetrius, illeque ſanctiſsimus Dauid & ſapientiſsimus Salomon: Ipſeque Diuinus Plato, Socrates & Ariſtoteles, Virgilius, Ouidius, Tibullus, Catullus, Propertius, Petrarcha, Dantes & omnes ferme Philoſophi & Poetæ. Quin & apud Scythas, vt autor eſt Lucianus, in multo maiore autoritate, honeſtate, veneratione, & reuerentia habetur, qui plures habet amicos, quam qui diuitias poſsidet & regna. Denique prudentiæ amoris omnibus hoc euidentius, lucidiſsimumque argumentum eſt, quod amor Magiſter eſt artium ſcientiarumque, omniumque virtutum autor & gubernator. Philoſophia ipſa diuinarum & humanarum rerum cognitio, ab amore nomen habet, virtutum etiam definitio non alia eſt, quam amor ordinatus: neque quiſquam vnquam artem aliquam aut ſcientiam inuenire potuiſſet, niſi illum inueſtigationis, & inveniendi amor incitaſſet. Quis recte docere aut diſcere artem aliquam aut ſcientiam poſſet, niſi ille qui docet, doctrinam ipſam & diſcipulos diligat, & diſcipuli diſciplinam ipſam ament & auide cupiant: Solo namque amore facilime adipiſcitur, quæcunque ars & ſcientia, quæ omni alio medio ſine amore fruſtra inueſtigatur. Accedit ad hoc, quod in ſingulis artibus & ſcientiis artifices ipſi nihil aliud quærunt, & curant, quam amorem: eſtque omnium artium & ſcientiarum finis, amor. Hoc modo ſacræ Theologiæ facultas in eo potiſsimum verſatur, vt doceat quæ hominum officia amet Deus: Quomodo Deum rite amare debeamus: quomodo Dei amici fieri rite poſſumus. Sic in morali Philoſophia, nihil aliud quæritur, quàm vt homines ſibi inuicem amici ſint; nemo alteri faciat, quod ſibi nolit fieri: Denique quis Amor ad Patriam, ad Principem, ad parentes, ad cognatos & benefactores, ad maiores, ad alios omnes, tam ad viuos quam ad defunctos, ſit adhibendus. Simili ratione medicina nihil aliud curat, quam vt quatuor corporis humores, inuicem amici ſint, atque permaneant, atque quos cibos & potus, quos vivendi & medendi vſus amet natura. Similiter in agricultura nihil aliud conſi-

d eratur,

deratur, quam quæ terra, cuiusmodi semina, & quam culturam amat, & quis colendi modus à singulis plantis & arboribus diligatur. Similis in reliquis artibus & scientiis consideratio est. Iam habetis modo, Quis & Quid sit amor, quis verus amator, quæ Amoris veritas, virtus, potestas, honestas, vtilitas, & necessitas. Hortor igitur Vos nunc & admoneo, vt amorem rem profectò Diuinam, totis viribus amplectamini. Amemus igitur omnes, amemus inprimis Deum, cuius amor rebus omnibus anteponatur, Amemus Patriam, pro qua semper viri sapientissimi & sanctissimi multa pericula, multos labores, etiam mortem ipsam libenter impigreque susceperunt. Amemus Principem Iustitiæ tutorem, Amemus parentes cognatos, benefactores, Amemus nos mutuo, hoc enim præ cæteris, præcepit Christus in Euangelio, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Mysticum id intellexere Spartacidæ, qui Amori Sacra faciebant, quæ Eleutheria vocitabantur, quo nisi certo signo omnem libertatem Amori, & fœderibus mutuis adscribendam rati. Concludo proinde, hoc Disticho.

Nil, sine Luce suâ Sol, *Nil sine* Sole *suo Lux,*
Nil, sine Amore regens, Induperator erit.

Et cum alio Poëta.

Non sic excubiæ, non circumstantia tela.
Quam tutatur AMOR------

Conclusio Capitis III.

Versiculis elegantissimis, Thomæ Mori.

Totum est, Vnus homo Regnum, idq; cohæret, Amore,
Rex Caput est, Populus cætera membra facit,
Rex quot habet Ciues, (dolet ergò perdere quenquam)
Tot numerat partes Corporis ipse sui.
Exponit populus sese pro Rege, putatq;
Quilibet hunc, proprij Corporis, esse Caput.

* * *

CAPUT IV.

De Bona voluntate, PACIS ANIMA.

BOna voluntas, Pacis Mater, & anima eſt, bona voluntas nunquam non diues eſt, bona voluntas omnia poteſt: Nocte naſcentis Chriſti nouam, inauditam Oden cecinerunt, in terra cœleſtes genij. Horum è cœlo Cantorum auditores erant opiliones; odeum campus; ode ipſa: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quid eſt bona voluntas? Obſecro, tantum nobis otij ſumamus, vt ex omnibus illis, qui ad Chriſti ſtramineas cunas obſequiosè ſeſe ſtiterunt, hoc ipſum quæramus, quid ſit *bona voluntas*? Interrogationis noſtræ initium petamus ab ipſis Angelis. O puriſſimi, beatiſſimique Spiritus, quid agmine facto, ad tuguriola noſtra deſcenditis? quid in terra quæritis, quod deeſſe poſſit in cœlo? nullum apud nos eſt dignum vobis hoſpitium. Ad hanc quæſtionem noſtram Angelorum omnium vna vox eſt: O mortales, loci genium & incolas probe nouimus, neque hoc aduentu noſtro illuſtria facinora, raras inuentiones, exoticas artes, artificia peregrina, neque aurum aut gemmas quærimus, ſed bonam voluntatem, quæ & auro & gemmis omnibus pretioſior eſt, nobiſque charior. Et in hoc quidem feciſſe mihi videntur Angeli, quod magnates aliquando ſolent in pauperculam cereuiſiariam cauponam peregrè delati. Caupo namque ſi generoſum Baronem, aut Illuſtrem Comitem videat ſuum eſſe hoſpitem, primum omnium inſtituit, hoſpitij tenuitatem excuſare, cupedias & delitias apud ſe nullas reperiri, lectos tanto hoſpite nō ſat dignos eſſe, panem & Zythum ſuppetere, cœtera pœne omnia negari, neque vero aliam ruri viuendi rationem eſſe: ſi tamen libeat manere, Dominus modo imperet, ſe quidem promptiſſimè daturum, quicquid omni domo poſſideat. Comes homini animando modeſtè & placidè, ſcio ait, mi vir, quas ædes ingreſſus ſim; ſi mihi par ouorum, & tuæ cereuiſiæ hauſtum tuleris, in hanc cœnam ſatis appoſuiſti, neque ego huc comeſſaturus venio; ignotus hoſpes latere cupio, & te relinquere ditiorem. Vis hoc? Caupo lætitiæ plenus,

Luc. cap. 2. verſ. 15.

P. Hieronym. Drexel. in Amuſſi. lib. 2. cap. 1.

nus, & renidenti ore: quid ni velim, inquit, ô mi Domine, quid ni velim hoc votis omnibus? manda, iube, impera, ego, meique iussa faciemus pro viribus. Hanc animi promptitudinem, paratissimam hanc voluntatem potentissimi illi ab æthere dynastæ Angeli quæsierunt, in orbe hoc inferiore, idque nostro commodo, vt nos relinquerent, longe quam antea ditiores. *Et in terra Pax hominibus bonæ voluntatis.* Sic Otho Imperator ad Romualdum visere, cellulam illius non tantum ingredi, & vna cibum sumere, sed etiam in Romualdi paupere & duro lectulo cubare voluit tanta Maiestas. Sic alij Reges, & Principes, desertissimas quandoque casas ingressi, fonte solo & pane pœne saxeo in cœnam vsi sunt, non sine voluptate. Sic & Angelorum apud nos voluptas est *bona voluntas*, rectaque intentio. Sed & ex Iosepho quæramus, qua ipse intentione Betlehemum venerit. O Sanctissime Paterfamilias, castissime Ioseph, quid hoc itinere quæris, tam & longo & difficili, tempore præsertim tam alieno, quid Betlehemum migras, omnia vbique hospitia occupata sunt, tibi nec Angulus patet, exclusissimus es vndique; mille domos adeas locum requiemque petens, mille domos occludent seræ, te tuamque coniugem nulla recipiet. Ergo potius iter relege, & Nazarethi habita: hic nemo te hospitem salutabit, multo minus honorario vino donabit. Iosephus Intentionis sanctissimæ plenus: Non refert, inquit, nullam mihi patere hominum habitationem: ergo pecudum subibimus, neque enim huc migrauimus, vt laxè commodeque habitemus, sed vt voluntati Diuinæ obtemperemus, id quod quærimus, est obedientia, huic omnem animum intendimus, sequemur, quacunque nos vocauerit voluntas Diuina. Sed cum bonâ veniâ tuâ, ô mi optime Ioseph, videris errare, à limine: non hæc voluntas est Dei, sed superbia Imperatoris Romani. Cuperet Augustus Cæsar nosse vires ac potentiam suam. eâ de causâ regiones & prouincias omnes turbat, vt quantus sit sciat, & inde magis superbiat. Iosephus contra: hanc ipsam, inquit, superbiam hominis idololatræ, Deus suæ voluntatis perficiendæ aptum reperit instrumentū. *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.* Quandoquidem ergo Augustus Cæsar, summus magistratus, Dei nutu edixit per Orbem, vt quiuis in suæ tribus Ciuitatem se conferret, ideo & nos hoc iter suscepimus, vt huic edicto pareremus. Hæc mea, & commissæ

Hier. Platus l. 2. de bono stat. rel. c. 37.

1. Reg. 3. v. 18.

commissæ mihi Virginis est Intentio, quam æquè commodè in humillimâ casâ, in vilissimo angulo, in stabulo exequemur, quam in Herodis Regis, aut Annæ Pontificis Palatio. Sed ipsam etiam beatissimam Virginem matrem super hac ipsâ re interrogemus. O Virgo beatissima, te si matrem Dei dixero, omnem in te laudem congessero. Tu verè dignissima mater es, ad cuius virgineum puerperium è cœlo descendant Angeli: quid obsecro, Virgo Diuina, quæris in natali loco prosapiæ? An nescis? Cognatos pauperes nemo nouit. Et valde verendum, ne hoc tuum iter frustra susceptum sit, nam ditiores è stirpe Dauidicâ, omne vrbis diuersorium præoccuparunt, vobis aut in publico habitandum, aut redeundum est. Gentiles vestros vobis loco cessuros ne sperate; nemo erit ex his qui ad vos reuisat, qui cibum potumque honorarium mittat, qui vllum honorem deferat; cognationem nemo agnoscet. Humanitas omnis hinc pridem exulat, nec vllum vos diuersoriolum recipiet. Contemnuntur qui pauperes sunt, etsi optimi sint. Et vere dicitur: Mortuus viuos frequentat, pauper inter diuites. Quare, ô Virgo integerrima, aut publica platea domus tibi erit, aut viâ quâ venisti, erit repetenda. Ad hæc Virgo puerpera: Meus Iosephus, inquit, & ego, non quærimus cognatos, nec nostri stemmatis Reuerentiam, neque commodum habitationis locum, sed vnam atque vnicam Dei voluntatem, quam nobis Deus declarauit per Augustum Cæsarem. Sed, ô Beatissima mater, sit verbo venia, non hæc videtur esse voluntas Dei, sed hominis Deo inimici. Nam quod pauperes tam miserè & sine causâ fatigentur, iussu Cyrini præsidis fit, hic vir hic est qui vniuersam Syriam inquietat, & obturbat, iste est qui vniuersos suis sedibus hucilluc euocat. Ad quæ virgo: sed quis, inquit, Cyrino id permisit? putem, inquam ego, Augustum Cæsarem. Virgo iterum: Ecquis permisit Augusto Cæsari? Deus vtique respondi. Hic demum virgo cœlestis: Huius ergo inquit, permissum Diuinum sequimur, huius volũtati paremus, hac intentione iter istud suscepimus. De diuersorio iam anxij non sumus. Deus prouidebit. Si locum negent homines, forsan pecudes non recusabunt: Fiat voluntas Dei. Sed & ex ipso diuinissimo infante istud quærere iucundum sit. O infans omni Salomone sapientior, ô Rex Angelorum, quid tandem hîc quæris inter exules, quod non millies melius reperias inter

Vet. monest. Troachic.

Gen. c. 22. v. 8.

inter tuos ciues Angelos? num animi gratia peregrinum & paganum panem gustare placuit? num cœlestia tempe cum horridißimâ hac siluâ commutare delectat? ô Domine, mundus non nouit te, & nisi te aliter patefacias, omnigeno contemptu te calcabit. Adhæc Christus puer, vel solo nutu oculorum, vel lacrymis solis, responsionis sat dedit hoc sensu: Honores ego non quæro, nec voluptates, nec vllum mensæ lautitiam desidero, cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius. Aliis cibis omnibus carere, *Io. c. 4. v.*
facile mihi erit, illum vero cibum gratißimum, cibum verè meum a- *34.*
uidißimè consector, hunc quæro, hic meus est finis, hæc Intentio. Vti vero nunc cernitis præsepi me incumbere, ita olim cernetis Cruci. Et hoc omne ad paternæ voluntatis regulam fiet. Nam sicut Pater meus Imperatoris Romani superbiâ, & meorum cognatorum inclementiâ eò vtitur, vt iam in fœdißimum hoc antrum detrudar, ita vtetur Hebræorum Pontificum inuidia, vt olim in trabem ignominiosißimam extollar. Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, *Io. c. 4. v.*
quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. *34.*
Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed volun- *Io. c. 5. v.*
tatem eius qui misit me. Hoc Christi ad nos responsum est. Quid er- *30.*
go est, voluntas bona, cui Angeli pacem imprecantur? Optime ad hoc *Io. c. 6. v.*
quæsitum Sanctus Leo: Christiano, inquit, vera Pax est, à Dei volun- *36.*
tate non diuidi: Horis omnibus ex animo dicendum: Domine fiat voluntas tua: fiat, & in me, & in omnibus hominibus, perfectißime, omni tempore, sicut in Cœlo. Hæc, ô Christiani, bona voluntas est, in rebus omnibus toto pectore hoc vnum velle: Domine fiat voluntas tua. Hanc voluntatem, Intentionem hanc animi commendant Angeli, de hac verè D. Gregorius: nil ditius, inquit, offertur bona voluntate. Hæc voluntas veram conciliat pacem. Voluntatem hanc ad Christi cunas attulerunt Pastores: Voluerunt ire & quærere, iuerunt & quæsiuerunt illum ipsum infantem, quem quærendum suasit Angelus, hinc illorum mutuæ cohortationes: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc Verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes. Hac voluntate penitus caruit callidißima vulpes illa, Herodes Ascalonita, qui & se venturum, imo & adoraturum promisit: nimirum pueri iugulum petiturus, non

genua osculaturus venisset. In hac demum bonâ voluntate rectaque intentione quies & pax vera consistit. Quicquid agas, ô Christiane, mille turbas in rebus aliis omnibus inuenies: nihil vspiam satis pacati extra hanc bonam voluntatem: inquietatio & molestiæ innumeræ à corpore, ab animo, ab amicis, à consanguineis, à liberis, à subditis, à seruis, ab officio, à negotiis; turbæ domi, foris, in templo, in publico, in aquis, in syluis, turbæ in ipsis relaxationibus & voluptatibus; turbarum vbique affatim te circumsistet. Et licet omnia componas ad pacem, nihilominus nusquam reperies pacem nisi in hac tantum bonâ voluntate, quæ voluntati diuinæ vinculo insolubili seipsum alligat. Et hoc cœlum est extra cœlum, seu cœli vestibulum. Pax hominibus bonæ voluntatis, pax bona, constans, tuta; pax vera, & nemini pœnitenda. In plurimis aliis illud vulgi vsurpare quis possit: Malo bonam guerram quam malam pacem, si spiritus velit cum carne pacem inire, cupiditatibus illius indulgere, omnem contumaciæ noxam dissimulare, pax pessima, & longè peior bello & discordiâ. Pax ergo nemini aut tuta aut bona esse potest, nisi hominibus bonæ voluntatis, rectæque intentionis.

CAPUT V.

Heliotropij, Cynocephali, Vnionum, & Magnetis, quæ Natura?

Lib. 22. histor. natural. cap. 21.

HEliotropij, Pharmacopolis notissimæ herbæ, miraculum, 1. est, vt refert, *Plinius*, cum sole se circumagentis, & caput suum circumferentis ad omnem solis motum, tàm strictâ religione, etiam nubilo die, vt Solem etiam nubibus obtectum, nunquam non adspiciat, tantus sideris amor est: Noctu verò velut eius desiderio contrahit cæruleum florem, inde Sponsam Solis nominarunt. Nota, mi subdite, Imperiicola, Heliotropium, etiam nubilo die circumagere se, cum sole, amore Solis, Sol Noster, Dei, & Sacratissimi Imperatoris Nostri voluntas est: Hæc Nobis non semper extrà Nubem illucet, serenis turbidi dies miscentur, quos pluuiæ, venti, grandines infestant. Nemo fidelium

fidelium de Deo, Imperio, & Sacratissimo Imperatore Nostro benè sentientium Imperii-colarum est, qui non à tempore primi tumultus Bohemici, & etiamnum sentiat hanc cœli grauitatem, & turbulentas tempestates, At Nos instar Heliotropij, cum Sole, id est, Deo, & Imperatore Nostro, cum Diuinâ, & ipsius Voluntate, Nos ipsos circumagamus diebus etiam nubilis, tanti sit nobis sideris illius Amor. Et sanè nulla Nobis vnquam tranquillitas obtinget, innumera hîc illîc displicebunt, à nullâ re satisfiet, nunquam sorte Nostrâ contenti erimus, omnia deesse videbuntur, etsi adsint omnia: nunquam extrà metum, frequenter oppressi, tædio perturbati, pusillanimes, pleni querelarum, & liuoris, nunquam non miseri erimus, quamdiu non ad hunc Solem, Diuinam, scilicet, & Imperialem voluntatem Nos circumegerimus, vt Heliotropium. Fixissimis, & inconniuis oculis, Sol, iste Nobis assiduè aspiciendus est quocunque se vertat; hoc vnicum semper in animo volutandum: Ità Deo, & Imperatori placet, ità & Mihi, Vitæ Mortisque regula, Mihi est vnica, Dei, Imperialisque voluntas: Sicut Domino placuit, ita factum est, ita fiet, sit nomen Domini benedictum, Nunc quidem Sol Noster nube abditur, sed breui lætum Os exeret extrà hanc nubem mœroris. Vide omnium seculorum decursus, variosque rerum euentus non rarò nubilos, post Serena principia, sæpè Serenos, post initia nubila, hoc est, post *Iubila, Nubila*, & viceuersâ, post *Nubila, Iubila*, seu *Phœbus*, iuxtà prouerbium: Sic igitur Nos comparemus, vt ante omnem euentum, nihil magis velimus, quàm sequi diuinam & Imperialem voluntatem. Ex Hebræis olim literatus quispiam, verbis certè promptissimus, Christo se traditurus: Magister, inquit, *sequar te, quocunque ieris*. Et sanè malus Miles est, qui gemens Imperatorem sequitur, Cæsar enim Nautam in obortâ tempestate animum despondentem, hoc clasico animabat, Ne timeas, tutò nauigas, quia Cæsarem vehis, Tales erant volones apud Romanos, qui sponte suâ militiæ nomen dabant, pro Dominis pugnaturos se polliciti: Ea de causa in ciuitatem recepti, & liberi esse iussi sunt. Inter Volones illos præsignis planè, Hebræus Rex Dauid: In me, inquit, sunt Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.

Matth. cap. 8. vers. 10.

Senec.

Liu. lib. 3. Belli Punici

Psalmo. 55. vers 13.

Prætereà, 2. Heliotropio sunt æterna folia, teste Plinio; Idem de Subdito benè de Deo, & Imperatore Nostro sentiente Imperii-colâ

Lib. 21. cap. 17.

Psalmo. 1. vers. 3. colâ dixeris. *Folium eius non defluet, in internum virebit.*

Pierius. in Hieroglyph. lib. 6. pag. 46. Tertiò; Helitropium, teste Plinio, formicas necat; Humanæ subditæ voluntatis, cum Diuina & Imperiali consensus, verisimum Heliotropium, tota Curararum & sollicitudinum agmina præfocat. Huic declarando, præter Heliotropium, vulgò, Germanicè, Sonnenwendt / mirificè facit genius Cynocephali, quæ quidem bestia manibus pedibusque, sed & cætero corpore non ab similis est homini, Illud propriisimum huic animanti, occultis viribus à Luna gubernari, per huius sideris miranda defluuia. Nam cum senescit Luna, Lumina Cynocephali ità deficiunt, vt cum sidus ad extremam peruenit egestatem, oculi belluæ hient lumine vacui, & pari modo deficit omne ipsius corpus. Cum verò adolescit Luna, & suum reconcinnat aureum Orbem, animantis pariter lumina coalescunt, totumque corpus resumit vires, ità recreatum hoc animal, sibique restitutum, in posteriores sese pedes attollit, & mirabili corporis flexu, ac venerabundis manibus, ad lunarem circulum elatis, supplici gestu adorat Lunam: quâ quidem veneratione velut protestatur, & proclamat, omnem felicitatem *Lunæ* in acceptis referre, cum sua omnia tàm pulchri sideris liberalitati debeat. Inde fit etiam, vt cum Luna omnem rotunditatem suam obtinuit, in Capite Cynocephali, circulus velut diadema effulgeat. Admirabilis prorsus consensio inter astrum, & brutum animal, quod altrici suæ tantis obsequiis, tàm submisso cultu nouit agere gratias, & semet in mancipium offerre, Quid agis ô Christiane Imperii subdite? Si minus aut sapis, aut facis, quam pecus rationis expers. A Deo Imperator Nobis constitutus Lux est, cuius studiis illuminatur totus Mundus, Nobis tamen, aut crescit, aut decrescit lux ista, pro vt nos illi attemperamus. Languente in Nobis hac luce, languent oculi nostri, nos tabescimus, iacemus, deficimus, perimus, crescente illâ, illuminamur, crescimus, valemus, & vigemus, Ergo quicunque diuinæ, & Imperiali voluntati seriò deuotus est, in Paradiso est, *factusque est in Pace locus eius, & habitatio in Sion.* Vnio hæc subditorum, cum Imperatore suo, porrò adumbratur in vnionibus, & margaritis, nomen inde suum sortientibus, quæ ex conchis marinis à Sole, & rore cœlesti imprægnatis nascuntur, & figuram cœlestem referunt. Porro in Vastisimo Mari Natura sagacisima, mediante

Authentica Habita, C. Ne Filius pro Patre.

Psalm. 75. vers. 3.

diante

diante Magnete, negotiationibus hominum, prospiciens, terrestres profectiones laborum plenas, & impossibiles esse animaduertens, vt per eas omnis defectus sarciretur, currus inuenit Aquatiles, quibus tanta vehi possunt onera, quibus vix aliquot millia iumentorum sufficerent. His temonis loco malum affixit, cui vela iugi instar adpendit, vt immissis ventorum flatibus, velut equis generosis more Zeuglis dirigerentur: neque hos habenis voluit destitutos, Clauum enim dedit gubernatori, quo arrepto tanquam auriga, puppi, vt currus extremitati insidens, facili cum labore hinc inde transferat, sed & turbulentas ventorum procellas, ceu equos effrenes, freno cohibeat. Et cum scandendi sunt montes aquarum, qui ita volvuntur, vt etiam tacturos sidera putes, ne in præceps currus ruere possit, anchoris sistat. Tandemque vt in vastitate hac immensa, semita & via, quasi Regia teneretur, cum antea ad minorem saltem Vrsam, quam Cynosuram veteres dixêre, oculos nauigando conuertissent, Flauio Melphitano primò acum seu pixidem Nauticam constantem ex Magnete, Septentrionem semper respicientem, vulgò See-Campaß monstrauit, vt mediante hoc instrumento, per Cartas maritimas, vulgò See Carten/ ad quaslibet Indiarum oras, sine vllis ambagibus, via rectior longèque accuratior, quàm ad prouincias alias terrâ fieri potest, existeret: Ità Magnes amat ferrum, & quasi eius pabulum esse à quibusdam Naturalistis putatur Quartam hanc Monarchiam Romanorum vltimam, Daniel Propheta, de statua agens, collocat, *in tibiis ferreis, & pedibus ex ferro & luto mistis*, De bestiis verò agens, depingit prægrandis, horrendæ monstrosæ, & robustæ beluæ imagine; quæ dentibus suis ferreis longè lateque sit grassatura, Quemadmodum igitur ferrum robore & duritie omnia metalla superat, omniaque frangit, & comminuit, & vt bestiæ, quo rubustiores habent dentes, eò sunt formidabiliores & nocentiores: Ità quoque hæc Monarchia superiora regna omnia fortitudine ac perpetuitate longè vicit, eiusque robur ac Maiestas hactenus inuicta semper mansit, nec ab vllo frangi penitusque tolli potuit. Quomodo autem hæc Monarchia posterioribus tempestatibus, *petulantis, atque saturæ bestiæ* instar, quæ dentibus suis deuorare non potuit, pedibus conculcarit, Exemplo sunt, tristissimum Hierosolymæ excidium, ipsaque Italia miserè dilacerata ab Herulis, Go-

Cap. 2.
Cap. 7.

this, Vandalis, Hunnis, Longobardis: quo etiam referimus grauissimam tyrannidem, quam in sua viscera, & in ipsam Ecclesiam Catholicam omnibus temporibus exercuit. C. Iulius Cæsar. S. P. Q. R. nomine, Galliam, Britanniam, & Germaniam bello affligens; duas posteriores Prouincias sub iugum Romanorum misit, tertiam planè domare non potuit: Idem præterea quinquagies bis conserta manu cum hostibus conflixit, quibus in præliis circiter 1192000. hominum periisse scribuntur: *Ossi*, idcircò, *quod à gladio acuto, nomen habet*, comparandus. AUGUSTUS, verò post difficilia bella, Monarchiam constituens, & PACEM in Orbe firmans, OS SACRUM, non immeritò à Doctis nominatur. *Ferreæ Tibiæ*, Monarchiæ diuisionem notant; quarum *Sinistrum Crus*, Orientem nimirum, CONSTANTINUS Magnus occupauit; quod tandem Orientis Imperio à Turca euerso, *Lupo* ἀςιουμένῳ, infestari cœpit: *Dextrum* verò, *Crus*, in Italiam accersitis, & quasi effusis Herulis, Gothis, Longobardis: tamdiu luxationem est passum, donec Carolus Magnus, sublatis Longobardis, id in integrum restituit: & ἀξίωμα Imperij, ex Diuina Prouidentiâ ad Germanos transtulit. Etsi autem *ex ferro illa lutoque conflata est*, ac proinde alias plus, alias minus virium habet (firmum namque fuit Regnum, IULIO CÆSARE, Augusto, Vespasianis, Traiano, Constantino Magno, & aliis Heroibus ad gubernacula sedentibus: Debile verò, vbi Nero, Caligula, Commodus, Domitianus, & alia huius generis *Carcinomata, pustulæ, Anthraces, fistulæ, vlcera, & Apostemata exorta sunt in tibiis*). De Regni tamen plantatione siue radice oritur, hoc est, fundamentum eius adeò firmum est, & solidum, vt euelli, atque extirpari penitus nequeat, ante vniuersalem omnium Regnorum Mundi πανολετρίαν nec humana aliqua vis quantacunque, sed solus ille, *Lapis sine manibus excisus*, (Christus nimirum extremo die Orbi subitò superuenturus, haud aliter, ac si Petra aliqua grandis, à Monte auulsa, per præceps mole sua ruens, maximo cum fragore obuia quæque prosternit, atque conterit) *pedes hos percutiet, atque comminuet*. Tandem sicuti *Pes Corporis humani*, finditur in *digitos*: Ita quoque Romana Monarchia, vbi aliquandiu stetit firma, cruribusque ferreis innixa, & in ambitu suo totum terrarum Orbem fuit complexa, desinit in digitos, hoc est, decem illa Regna, per totidem cornua in belluâ istâ ἀνῳνυμένῳ

Cartilago.

OS SACRUM.

Tibiæ.

Sinistrum Crus.

Dextrum Crus.

Tibia Dextra Statuæ Danielis, ex Ferro, Lutoque Conflata est.

Carcinomata pedum pustulæ, fistulæ, &c.

Digiti pedum.

νυμένῳ præfigurata, nempe in, 1. Germaniam. 2. Italiam. 3. Galliam. 4. Hiſpaniam. 5. Angliam. 6. Sarmatiam. 7. Pannoniam. 8. Ægyptum. 9. Aſiam. 10. Græciam.

Hi Luto-Ferrei Pedes, ſeu Ferdinandus III. Austriacus, Imperator Auguſtiſſimus Germanus, cum Ludouico XIII. Burbonio Rege Galliarum, non benè cohæret, ab eo tempore, quando à Clodouæo, poſteà Ludouico I. dicto, Francorum Rege Primo, Alemannis Victis, & debellatis: nec non etiam à Saxonibus à Carolo Magno ſubactis, ſeruitutẽ vetuſtæ, magna ex parte ſimilem ſui in Germaniam Noſtram fuiſſe introductam, antiquiſsima Annalium monumenta teſtatum faciunt, Quod factum ad Tolbiacum, vulgò Zülpig/ Vbiorum, hodiè in diſtrictum Colonienſium relatum, circa annum Christi 499. pugna autem difficili & cruenta; Qua victoria diuinitus obtenta, vt Deo votum perſolueret, fidemque vxori ſuæ Clothildi ſemel datam non retractaret, Chriſtianam religionem amplexus, ſimul ac cum copioſa, & innumera multitudine, ab Archiepiſcopo Remigio, baptizatus, & *Ludouicus* nominatus eſt, & ne poſt hac quicquam ſpei recuperandæ libertatis, & potentiæ relinqueretur, cunctam terram flammam & ferro devaſtauit, victoria ad libidinem abuſus eſt, vt omnes ſuperſtites, maximam etiam partem Alemannorum, ſeruituti manciparet duriſſimæ, affligeret, & Sclauos efficeret. Hinc inueterata, innata mutua æmulatio Germanorum & Gallorum, tempore Franciſci I. & Henrici II. à cineribus reſuſcitata, & in hæc miſerrima noſtra tempora, cum interitu tot millionum animarum ſanguine Chriſti redemptarum, proh dolor continuata eſt, Faxit, Princeps Pacis, qui res penitus deſperatas donare & conſummare ſuæ virtutis magnitudine poteſt, *Conſtit. De Concept. Digeſt.* vt nouus oriatur Magnes, qui Pedes hoſce, Luto-Ferreos, ægrè cohærentes nouo indiſſolubili nodo, fortiter compingat, & Sacrum Imperium Romanum, Nobiliſſimumque Hiſpaniæ Regnum cum Francia iungant manus, inter ſe coaleſcant, & à morte redeant in vitam, qua coniunctione meliorem non poſſet optare amplius Mundus, aut amplius largiri Mundo Deus, horum enim in Tutela ac protectione reſpirabit Eccleſia, Pax & Iuſtitia, ſeſe mutuo exoſculabuntur, &

Receſſus Imperij Spiræ, Anno, 1544. inpr. §. Vnnd demnach/ ꝛc.

Auguſtus Cæſar Divûm gens, Aurea condet,
Secula.

CAPUT VI.

TYPUS PACIS,

Vniſonum murmur in fidium concentu.

VT in vno corpore phyſico, membrorum concordia & colligatione, actiones ſuas mens exſerit & perficit, & vnico ſpiritu eadem membra colligat: ita vnum Imperium, cum poteſtate vnius vel plurium vnitorum in republica regit, imperat, cuique vel membris, conuenientia & leges dicit, concordiam firmat, & humanæ ſocietati neceſſaria exſequitur: communicat commercia, actiones, & amicitias conuenientibus præceptis, quæ vel natura vel neceſſitas ſuadet per ſe inuiolata conſeruare. Nam homo, qui non eſt, aut non poteſt, aut non vult eſſe in ciuili ſocietate, vel Deus eſt, qui nullius indigus & ſibi ſufficiens eſt, vel beſtia, quæ non amat ſocietatem hominum, homo quippe animal ſociale, *vt ait Ariſt. 1. polit. cap. 2.* Quia vero ea ſocietas humana eſt hominis vtentis ratione, neceſſarium eſt, illam quoque ordinatam cum diſtinctione eius, quod rationi conſentit vel aduerſatur: vt ius ſit ordinatio ciuilis ſocietatis, indicatio vero, iuſti & iniuſti iudicium, & illius vel ſuum dicitur. Non enim exigit ſocietas bona per omnia ęqualitatem arithmeticam, ſeu ſecundũ proportionem quantitatis cuique diſtribuit, æqualiter, ſed ſecundum proportionem geometricã & dignitatem, conſeruatis gradibus munerum & officiorum, vt neque in corpore phyſico membra omnia eundem habent actum aut munus, neque eiuſdem ſunt dignitatis. Quanquam ſingula proprium conuenientem habeant honorem in miniſterio. Vtque in fidibus ac tibijs, atque cantu ipſo, concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt: iſque concentus ex diſſimilimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis & infimis & mediis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitas conſenſu diſſimilimorum conſiſtit: & quæ *harmonia* à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in ciuitate ſeu republica, *Concordia*. arctiſſimum atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis, quod ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poteſt. Iuſtitia autem non niſi

ab

ab auctoritate alicuius, qui supremam habeat potestatem potest suum effectum consequi, vnde Cicero ait, *sine summa Iustitia rempublicam regi non posse.* Et quot sunt respublicæ tot debent esse supremæ potestates, in vnaquaque vna, sicuti in vno corpore physico vna anima, quæ imperat, non duæ: in mundo, vnus Deus, qui illud ex arbitrio moderatur. Pro Monstro esset, imo impossibile, in vna & eadem republica duas esse supremas potestates æquales. Quod enim supremum est, in suo ordine priorem non admittit, nisi subordinetur ad aliquid. Si duas constituas, iam diuidi corpus ciuile oportet, & ex vna republica duas fieri. Ista tamen suprema potestas, aliquando admittit administratores & distributores, duos, tres, aut plures: sed illi tres aut plures separatim non habent singuli supremam penes sed potestem, sed omnes simul vnâ, vt in Aristocratia & Democratia accidit. in Monarchia autem, penes vnum rerum omnium summa potestas, à qua reliqui, qui sub eo rempublicam vel principatum seu regnum per partes sibi creditas moderantur, pendent: neque quicquam proprij in illis habere dicuntur, & ideo negotia commissa, non suo nomine, sed Principis vel tanquam delegati aut officiarij eius expediunt. Et quemadmodum nec infirmior est manus, quod sit in digitos dissecta, sed est ad peragendum agilior: ita neque imminuitur potestas summa à pluribus explicata: & negotiis multis in republica communicata facilius conficiuntur. Non enim committitur summa potestas, vt non separantur digiti à manu, nec manus à brachio, nec brachium à corpore, aut corpus à capite. Sed quemadmodum virtus animæ, per totum corpus & membra diffusa sua per instrumenta exsequitur mandata: sic summa potestas per ministeria præpositorum, suam exercet auctoritatem. Et ita potestates subordinatæ magistratuum, Ducum, Comitum, & similium, non vtuntur summa potestate, quæ communicari non potest, non secus quam vnitas, sed auctoritate habentis eandem, cum affectu vtuntur, vt vnitas non est numerus, sed principium numeri, vt punctus non linea, sed principium lineæ, quæ ex punctis consequentibus oritur. Descriptio hæc est, *Respub. est rerum & vitæ quædam communitas vnius societatis, quæ efficit vnum quoddam Corpus Ciuile, ex pluribus diuersis, vt membris compositum, sub vno potestate suprema veluti, sub vno Capite & spiritu, ad bene viuendum in hac mortali vita.*

Refert ex 2. de republ. Ciceronis.

Augustinus lib. 2. c. 21. de Ciuitat. Dei. Cicero 2. de repub. Augusti prædicto loco.

Quia autem verba perperam adiecta non sunt, quæ descriptionem conficiunt, ea admonent nos, pro genere, *societatem & communitatem* poni, *reliqua* pro differentiis, à generali illa hominum naturali societate, *Rerum & Vitæ societas*, materiam demonstrat reipublicæ: *Corporis* vero, *vnio cum membrorum concordia sub vno spiritu*, formam societatis: *bene viuendi* vero *intentio* habet causam finalem proximam: *perueniendi*, autem *ad futurum desiderium* habet intentionem finalem, propter quam alia constituta sunt. Colligitur autem ex omnibus necessitas administrationis quæ conueniat intentioni, & ad effectum illam perducat & conseruet; docetur & principatum, veluti vnicum Spiritum, necessarium, artemque regendi, non minus quam in vno corpore physico vnius hominis exigitur ratio in anima, & intellectus agendorum, & eorum, quæ demandari debent ex sequenda singulis membris. Non sunt membra hominis vnius omnibus actionibus accommoda, sed sub propriis debent cōseruari & informari: pes videre, oculus ire, auris tangere, manus audire non potest, quia ad illud non habet instrumentum aut organum. Nec etiam anima, quæ nouit cuiusque membri facultatem & actionē, idipsum, sed propria imperat, & ita omnino singula propria solicitudine curat, cuius exemplum prudens administratio, quæ præest corpori, societatis, sequitur, & singulis membris seu hominibus conuenienda prospicit & procurat. Primum & præcipue totum corpus respicit populi, dehinc etiam singulares: ne dum tantum vniuersum considerat, contemptis partibus, ex quibus totum perficitur totum ipsum deficiat.

Finio proinde Caput VI.

Cum hoc Anagrammate,

AVSTRIACVS.

Cit(h)arâ Vsus.

Nucleus.

Dauid, Pacificando Saulem, 1. *Reg.* 18. *Cap.*

Non Vox, sed Votum, non Musica Chordula sed COR
Non Clamor, sed Amor { *clangit in aure Dei.* / *formula* PACIS *erit.* }

CAP.

CAPUT VII.

Continet demonstrationem fidelitatis mutuæ, in hoc connubio mystico.

ETsi nulla meruerit virtus, vt, quod præscripsit fatalis Ordo non fiat, nec in humana sit positum industria, auertere, quod euenturum erat, nec, quod decretum diuinitus, vllo caueri remedio possit; Seueritate tamen nimia, vel temeritate translata, euersa Imperia, Regna, Ciuitates, periisse Reges, Principes, & perire indies, humana siquidē sana non diffitebitur ratio; Adeò vt improbanda non sit cura in inquirendis remediis, quibus prauitati, & audaciæ potentiorū obuiari possit. Inter quæ cum nullū sit salubrius eo, quod fit animorū & virium, per mysticum connubium de quo superius diximus, coniunctione. Sacratissimus Imperator Iustinianus, constituit, generali definitione, nullam esse satisdationem, vel mandatum pro dote exigendum, vel à marito, vel Patre eius, vel ab omnibus qui dotem suscipiunt. Si enim credendā mulier sese, suamque dotem, patri mariti existimauit: quare fideiussor, vel alius intercessor exigitur? Vt *causa perfidiæ*, in connubio eorum generetur? Bonum enim est, Mulierem, quæ se ipsam marito committit, res etiam eiusdem pati arbitrio gubernari. Idem indulsit iisdem protopraxian in pignore, ratione dotis, ex his rationibus. *Quis enim earum non misereatur, pro ter obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem, pro quibus multa nostris Legibus inuenta sunt priuilegia.* Communicat Augustæ Priuilegia Imperialia, & concedit, Mulieres coruscare radiis maritorum.

In L. 2. C. Ne fideiuss. dot. dentur.

L. 8. ff. De Pact. conuent.

L. Assiduis. 11. C. Qui. pot. in pign. hab.

Cum igitur Sacratissimus Imperator Noster omnibus subditis suis Imperii-colis, *sit sponsus sanguinis*, vti Mater Moysis, ad eundem dicebat, tempore circumcisionis, omnesque sint debitores Patriæ & Imperatoris: quatenus tria hæc ex Lege ipsi obtulerunt. 1. Reuerentiam. 2. Tributum. 3. Obedientiam. Æquum est, vt hæc debita præstent. Præiuit Christus Humanæ gentis reparator, suo exemplo, de quo Pater ab æthere pronunciauit, Audite illum. Hic Præceptor Noster Tres potissimum habuit Intentiones. 1. Fuit, Obedientiæ, Hoc

L. 31 ff. De LL. L. 13. C. De dignit. L. 8. ff. De Senat.

L. 2. ff. De Iust. & Iur.

L. 6. ff. De ius vocand.

tt. ff. De obseq. parentib. & patr. præst. L. 55. C. de Decur.
Ezech. cap. 1. v. 11.
Marc. cap. 9. v. 7.
Iohan. cap. 10. v. 18.
Iohan. cap. 8. v. 49. & 50.
Senec. Epist. 7. in fin.
L. 32. in pr. ff. De LL.

Hoc mandatum, inquit, accepi, à Patre Meo, Nam primo momento, quo in Virginis visceribus hominem induit, Patris præceptum ei propositum, *Crucifigendus es.* Ita Pater imperat, Huic imperio paterno Christus obedientissimè se subiecit. Hinc verè dici potest. Seruator Mundi, triginta quatuor annis pependit in Cruce. Nam intentio Christi per omnem vitam, ibat ad Crucem, hærebat in Cruce, *Hoc mandatum accepit, à Patre,* Altera fuit, Reuerentia in Paternum honorem: Ego autem, inquit, non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum. Tertia fuit Dilectionis & Amoris in Paternam voluntatem: Ego, inquit, quæ placita sunt ei facio semper: Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante Te, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut Tu, Fiat voluntas Tua. Ab hoc Primario horologio, nostræ voluntatis horologiola pendere debent meritò, Priscis celeberrimum erat: *Alter alteri satis magnum est theatrum, vir probus.* Epicurus cum vni ex cōsortibus studiorum suorum scribebat; *Hæc,* inquit, *Ego non multis: sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.* Fideli subdito, quā magnum Theatrum est Imperator: Eidem quoque sat amplum Theatrum est bonæ Intentionis subditus, si Imperatoris VELLE, sit, eius VELLE & FACERE, Ah ingemisco, Nos à bestiis etiam in ruborem dari, Narrant Elephantem fuisse in Vrbe COLCHIN, qui operas, diurnas præbere solitus erat ad Portum & res marinas. Eum fortè Vrbis Præfectus vrgebat, vt Liburnicam nauim, quam commouere cœperat, deduceret porrò in mare. Ille abnuere, instare alter multis blanditiis, Elephas laborem hunc constanter auersari, ad extremum Præfectus, saltem in gratiam LUSITANIÆ Regis, id vellet, orare. Hinc, immane dictu, Elephas, Clarè hæc duo verba ingeminat, *Hôo, Hôo,* quod Malabarum lingua est, *Volo, Volo,* ac sine mora Nauim traxit in mare. Tanti erat Elephanto, Regis Lusitani gratia laborare! Quid Nos ratione præditi, disciplinæ capaces homines? quoties præfractè resistimus? & imperata etiam leuia detrectamus, etsi millies inuitemur. Eja, quæso *in gratiam Christi Domini, eiusque Vicarij, Sacratissimi Imperatoris Nostri?* Ne sic quidem mouemur, ad Nobilissima hæc inuitamenta obsurdescimus, vel bestiis contumaciores. Quam autem æquum est, vt subdito placeat, quod placet Imperatori? Harpalus cum filium suum epulatus fuisset, & Astyages Rex, qui illas epulas instruxe-

Christoph. à Costâ in historiâ aromatū. Opera Caroli Clusij, editâ Antvverpiæ, An. 1582.
§. 6. Inst. de Iur. Nat. Gent. & Ciuil.

instruxerat, reliqua filij membra, caput, brachia, pedesque proferri iussisset, interrogassetque: *Et quomodo Tibi hæc placent?* Respondit: *Quicquid facit Rex, Illud mihi placet.* Ah miser! tanti est hominem exuere, vt pecudi placeas? Quin potius Nos Christiani Imperij morigeri subditi, ad omnia salutaria Imperatoris Nostri iussa, hoc vnum pronunciamus? *Quicquid facit Imperator Noster gloriosissimus, hoc mihi placet.* Quid enim maius? quid sanctius Imperiali Maiestate? vel quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est, vt Regalem sensum contemnat? Cum & veteris Iuris conditores constitutiones, quæ ex Imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere, aperte, dilucideque definiant? Hinc Romana adulatio, libellis supplicibus, qui Cæsari tradebantur, subscribere solebat *Numini, Maiestati*ꝗ; *Tuæ deuotissimus.* Elegantissimè. Q. Septimus Tertullianus *ad Scapulam*: *Imperatorem colimus vt hominem, à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem. Sic enim omnibus maior est, dum solo Deo minor est.* Proinde & sublimes in iure Nostro Imperatori attribuuntur tituli, Dicitur enim, Diuinus, nam quæ ad Imperatores, pertinebant, diuina & sacra olim dicebantur, vt Diuina domus, Diuus Imperator dicitur, qui post mortem nomen DEI accepit. Capitolinus scribit, Antonium Pium à Senatu pium appellatum. Carolus Magnus. Sceptra Imperialia retinentes, post mortem in DEOS, credebantur transferri, & Diui vocabantur. Religiosissimus & prouidentissimus. Pater Patriæ. *Appianus.* Appellatio patris patriæ, à Cicerone cœpta (coniuratione Catilinæ oppressa) per uenit ad eos, qui ex Imperatoribus eâ visi digni sunt. Non enim statim, vt ad Imperium euecti sunt, ea data cum aliis titulis, sed vix longo tempore, vt perfectum ob res maximas testimonium decernitur. Post Ciceronem, primus Iulius Cæsar, Pater Patriæ dictus. Gloriosissimus, ita cũ appellat Pontifex in inscriptione. *L. Inter claras. C. de summa Trinitat.* Vicarius Christi. vide respõsum Conradi Secundi cognomento Salici, apud Goldast. *tom. vn. Constit. Imper. p.* 1230. Christianissimus. Merito & alia honorem & prærogatiuas inducentia illustres, eidem attributa voluit vetustas, Talia inter compluria reperio. 1. Adorationem sacræ purpuræ. Principem enim accedentes purpuream eius vestem osculabantur, seu adorabant; hoc est ori admouebant. Vbi tamen Salmuth *p.* 433. notat, non fuisse exosculatos vestem ipsam, sed

L. 12. *in pr. C. De LL.*

Bulingerus *de Republ. Imper. c.* 9. *p.* 17.

L. 1. *contra Synodum Græcam de adorand. imag. c.* 3.

Alberic. *in suo diction. in verb. diuinus. L.* 67. *§. fin. ff. de leg.* 2.

L. vlt. in princ. ff. de interd. & Dio lib. 43.

manum dextram, qua istam attigerant. Reperio etiam milites manus Imperatorum fuisse exosculatos, vt & alios Principis tetigisse manus in signum Securitatis. Ita Poëta.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Lib. 7. de Regno Italiæ p. mihi 167.

Formula iuramenti, quod eidem à subditis præstatur, hæc est, Iuramenti Fidelitatis TRES fuisse FORMULAS, ait *Sigonius.* VNAM breuem, qua Carolus Magnus est vsus: *Promitto, me Domino meo Carolo, & filiis eius fidelem futurum, in tota vita, sine fraude, doloque malo.* ALTERA, aliquanto vberior: *Iuro, ad hæc sancta Dei Euangelia, me imposterum fidelem ei futurum, vt Vasallum Domino, nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, enunciaturum in eius detrimentum scienter. Et si de familia, aut iurisdictione* eius erat, addebat: *Et vitam, membrum, mentem, & eius rectum honorem seruaturum.* TERTIA omnium latissima fuit: *Ego iuro super hæc sancta Dei Euangelia, me imposterum, dum viuam, fidelem futurum tibi N. Domino meo, contra omnes homines, excepto Imperatore, aut Rege, id est: iuro, me nunquam scientem auctorem futurum, aut operam daturum, vt amittas Vitam, membrum aliquod, aut læsionem aliquam corporis accipias, aut iniuriam; aut contumeliam, aut honorem aliquem amittas, quem nunc habes, vel in posterum habebis. Et si sciuero, aut audiuero, aliquem hæc aduersus te moliri, pro viribus impedimentum afferam. Sin minus, tibi primo quoque tempore nunciabo, & contra eum, quoad potero, tibi auxilium præstabo. Et si quid ex ijs, quæ habes, aut habebis, iniuste aut fortuito amittes, ad ea recuperanda, & in perpetuum conseruanda opem feram. Et si cognouero, velle te aliquem iustè offendere, si requisitus fuero, meum tibi subsidium, vt debeo, præstabo. Et si quid mihi secreto communicaueris, id iniußu tuo non enunciabo, neque vt enuncietur, operam dabo. Et si consilium à me petieris, id quod magis expedire tibi visum fuerit, dabo, neque sciens aliquid agam, quod pertineat ad tuam, aut tuorum iniuriam, aut contumeliam.* Horum secundum & tertium, si non omnino verbis, sensu tamen genuino inter feudales reperiuntur sanctiones, *c. vn. Qualiter iurare debeat Vasallus lib. 2. F. t. 5. c. vnic. de noua forma fidelit. L. 2. F. tit. 7.* scilicet cum feuda vniusmodi non sint omnia, nec obligationes, vbiq; vniformes, haud mirum, si fidelitatis iuramentum, nec vbique æquale. Cæterum præstationem iuramenti multa comitantur solemnia, pro diuersitate & feudorum & locorum diuersa. In Priuato Imperatoris conclaui, si præstetur, præsertim per Procuratores, tacto libro noui testamenti, & addito osculo gladij porrecta peragitur.

CAPUT VIII. continet,

Debitum ALTERVM, ſcilicet, TRIBVTVM.

VT Corpus Phyſicum non eſt, quod mutationi non ſubiacet, & morbis aliquando concutitur: Ità fieri non poteſt, vt Reſpubl. quæ ſub motu cœli perpetuò gubernatur, in eodem ſtatu permaneat, æternumque pace fruatur. Eò namque ceſſantibus Saturniis ſceptris, in ferreo hoc ſeculo res rediit, vt neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine tributis haberi poſſint. Sed bello ſalus Imperij, ſiue ſub vnius dominatu, ſiue alia Reipublicæ forma viuas, quærenda, adeoque pecunia exigenda ſit: Inde namque militares copiæ, ſalario percepto, hoſtibus reſiſtunt, & collatores à Barbarorum incurſionibus, & truculentia vindicant, Denique agros, & Ciuitates, à latronum, aliorumque incompoſitam vitam ſectantium, irruptionibus, agendis excubiis, defendunt: ex illa ciuitates & muri itidem inſtaurantur, vt qui pecuniam neruos Reipublicæ, vitalemque eiuſdem ſpiritum dixerunt, recte rem explicaſſe videantur. Quemadmodum enim nerui ſecundum medicorum doctrinam ex capite humano manantes, per totum corpus diffunduntur, vim, roburque, eidem tribuunt, tum quoque plenitudine ſua, & inanitate periculoſiſſimas conuulſiones creant: Ità pecunia, ſolida Imperiorum compages, & opus, ſunt opes, nec ſine eis fiet, quod opus; Experti id ſunt Lacedæmonij, ſed exemplo ſibi ipſis funeſto: Cum enim præceptorũ Lycurgi obliti, (qui propterea ciuibus auri & argenti vſum ademerat, ne peregrinos Imperij Lacædemoniorum, & Lacedæmonios Imperij peregrinorum laceſſeret cupiditas) in alienas poſſeſſiones conuerterent oculos, deficiente rerum gerendarum neruo, Pecuniâ, Reges exteros ſollicitare non ceſſarunt, quo ad amicorum ope deſtituta Reſpublica corrueret. Atque Annibalem iam Romanorum Imperium pedibus conculcantem, hoc ipſo quod ſupplementum & ſtipendium ei, pecunia mitti à Carthaginenſibus denegaretur ex Italia, reuocatũ teſtatur *Liuius*, & ita Imperio, quod ſine magna opum vi, ingredi non licuit, vno momẽto excidiſſe.

Petr. Gregor. Tholoſ. de repub. lib. 3. *c.* 9. *n.* 10. *Cornel. Tacit. Hiſt. lib.* 4. *Imp. Iuſtin. in Nouell.* 149. *c.* 2. §. *ac ſane. Iuſt. Lipſ. ciuil. doct. lib.* 5. *c.* 6. Hippocrat. *lib.* 2. *de loc. aff. Tholoſ. d. lo. Bodin. de Repub. lib.* 6. *c.* 2. *Scipio Ammiratus diſſert. polit. lib.* 18. *diſcurſ.* 8.

Ærarium itaque habendum, quod ornamentum pacis, & belli subsidium sit: ex quo possit Princeps amicos beneficiis obstringere, indigentibus suppeditare, & inimicos iure vlcisci. Quanta autem eius augendi, locupletandiue priscis illis temporibus cura? Si gens aliqua armis superaretur, omne æs, aurum, & argentum, in ærarium ea vincentium, & triumphantium integritate inferebatur, vt nefas ex his vel minimum attigisse arbitrarentur, ne peculatus iudicium, vel tantillum subripuisse criminatus, effugiebat. Furius Camillus, quod ærario quindecim millia æris Tribunus Plebis abesse querebatur, in exilium missus. Et Scipio Africanus, qui contusam & confractam belli Punici armis Rempublicam iam penè exanguem, & morientem Africæ Dominam reddidit, voluntario se ipsum mulctauit exilio, quod quadragies ab eo repeteretur, qui bis mille in ærarium intulerat. Victis quoque gentibus TRIBUTA imperabantur, quod caput, & bona ligabat, erantque stipendiarij ipsi & agri, grauissima pœna eorum qui pertinaci bello superati essent. Vtrum autem capitum seu hominum, illud tributum vniforme in omnia capita, an ex censu indictum, vix ex antiquitate erui posse fatetur, explicare tamen rem nititur, Patrem familias pro singulis capitibus, etsi nihil in bonis habebant, id soluere coactum fuisse. Sublata est hæc capitatio à Constantino, & fastuosus locupletandi ærarij modus, quem Christianus Princeps, facile adsciscere non debet. Pariter à SOCIIS EX FOEDERE PENSIONES si bellum gerendum erat accipiebantur. Neque DONA ET LARGITIONES AMICORUM respuebantur, peculiari tamen hic vsi sunt magnitudine Romani, vt rebus aduersis oblata Regum munera spernerent: quemadmodum Ptolomæo Ægypti Regi M. pondo auri & XX. M. pondo Argenti, dono data remissa sunt, amplissima tamen Regna fœdere iunctorum Testamento sibi relicta, non indecorè acciperent; Quo titulo Regnum Burgundionum, seu Arelatense, CONRADO-Salico datum, Germanico Imperio accessit, temerario ausu à Carolo IV. Imperatore in Delphinum Galliæ alienatum. Nescio autem an solidius nutrimentum ærario quæsitum fuerit, quam cum VECTIGALIA certa perpetuaq; eidem destinarentur. Sed amore breuitatis pro hâc vice, manũ de tabulâ, remitto me, desuper ad Nouissimas Imperij Romani Constitutiones, & conuentas Pragmaticas sanctiones.

Plutarch. in vit. eiusd.

Lips. de magnitud. Rom. l. 2. c. 2.

Lips. d. l. 2. c. 3.

Bodin. d. c. 2.

Ex Epit. Flor. Bodin. d. c. 2.

Gregor. de Repub. lib. 3. c. 3. n. 3.

CAP.

CAPUT IX. tradit.

DEBITVM OBEDIENTIAE IMPERATORI debitæ, præstandum.

Diuersi quidem Regiminis est, hypocaustum plenum infantibus, gymnasium plenum discipulis, plenam domum famulis, Cœnobium plenum Religiosis, campum plenum militibus curare; Eadem tamen in omnibus gubernandi ratio est, per obedientiam, quæ diuersas voluntates in vnam iubet coalescere, iuxta illud tritum Scholæ Pythagoricæ, Αὐτὸς ἔφα. *Ipse dixit.* Malè Dux imperabit, Nisi omnes suos milites, aut ore gestare possit, aut manu, hoc est, aut voce, aut nutu, ad omne Imperium impellere. Illic benè res geritur, & disciplina sibi constat, cum in domo Paterfamilias, in Schola Magister, in Cœnobio Antistes, in Castris Dux, suos omnes, aut linguâ circumagit, aut dextrâ, verbo regit, aut nutu, aut quoquo vult perpellit. Sanè, Nihil maius est inter homines, quàm vnum præesse pluribus, leges, & iussa ponere, maria, terras, pacem, bella moderari? Diuinitas quædam videtur hæc Dignitas, & est profectò, si salutariter, atque ex vsu publico administretur: Sed hoc, quam arduum sit, cum ratio Nos docet, tum exempla, quantæ molis ab vno Capite, tot capita coerceri, & vniuersam illam multitudinem, inquietam, discordem & turbidam, leniter redigi, sub commune quoddam obedientiæ iugum? Nimirum maius quiddam est, quàm imperiti suspicentur, cursum rectum in vndoso isto mari tenere: Nisi persona Domini & Patroni Vasallo, & subdito Sacrosancta esse debeat; Quod, vt exemplo aliquo illustrem, Lustremus priscum dedendi modum, prout à Liuio describitur. Rex primum quærebat Legatos. *Missine? vt Vos, Populumque dederetis? Sumus.* Lib. 1. *Estne populus iste in potestate suâ? Est, Deditisne, vos, Populumque, Vrbem, agros, terminos, delubra, Deûm vtensilia, diuina, humanaque omnia, in meam populique Romani ditionem? Damus. Et Ego accipio. Veluti, Falisci, Campani, Samnites.* Sanè in Francia, quamprimum Adolescens Curiæ suæ dixit, *je Veux estre obei.* quot lanienas? quot parricidia? quoties vndan-

tem per compita sanginem ipsa tremuit? Sanè si aliqua memorabilis Iustitiæ Executio vigorem suum exeruisset, constantius quoque, æquabiliusque res Imperij, sese nunc quoque haberent; At dum nimia Cæsarum indulgentia stare, & Acies Cæsareæ Maiestatis, ob conditum, imò constrictũ ferrum, hebescere primum occœpit, perpes illa, & assidua lenitas, contemptum, ipsam Principatus pestem, in hâc colluuie morum, & hominum, vbi metus, vel habendus, vel faciendus, impunitatisque spem, maximam illecebram peccandi induxit, Per Lenitatem enim Rex contemnitur, Lex despicitur, Grex inficitur. Et hoc Illustrissimus Christianus Anhaldiæ Princeps, Melchiori Goldasto Haiminsfeldio, Anno 1612. inter secretos sermones serio fassus est. *Omnia mala nostra in Imperio inde prouenisse, & etiamnum prouenire, quod Supremo Capiti, id est, Imperatori nulla debita Obedientia præstetur. Nec saluum Imperium vnquam futurum, nisi Imperatori sua sibi Authoritas, & Potestas restituatur, & Membra, cum Capite suo, more maiorum coniunctiore harmoniâ, quam hactenus factum sit, mutuiter conueniant, atque concordent.* Et hoc effatum, ex tripode dictum fuisse, euentus posteà docuit, Nec non Ipse Illustrissimus Princeps, eiusmodi heredes, & asseclæ, nunc serò licet, seriò tamen agnoscunt. Non enim Rex postulatur, vt Medicus, cuius Imperia durant, quamdiu placent ægroto, quã de re verè Imperatoria Valeriani verba, ad Prætorianos: *Vt me ad Imperium eligeretis, in vestra erat potestate, sed postquã electus, quod petitis in meo arbitrio est, non alieno: Pareatis: Ego, quæ facienda restant, ruminabo.* Subiectio omnis hæc in duobus hisce consistit. 1. Parendo, qui enim paret Mandatis subditus præsumitur, & per obedientiam acquiritur quasi possessio subiectionis, 1. Præstando homagium, seu iuramentum assecurationis, seu subiectionis, Erb vnnd Landtshuldigung / Hæc enim prima agnitio, confessioque subiectionis est, 2. Si pareant Legibus, monitis, & Statutis, hisce enim, etiam inuitum subiici, & forum sortiri, à pari procedunt, 3. Si pareant onera imposita exequendo. 4. Multam dando, pœnasue luendo. 5. Appellationes admittendo. 2. Comparendo. Quid enim imperiosius? *I. Veni, Sta, Redi.* 1. scilicet comparere ad Conuentus Prouinciales, auff Landt Tåge / 2. in Tribunali, Subditus enim est, qui cogitur pati iudicium, & Superioris qui iudicat, 3. Citati ad Bellum, Excubias Arcis, sequelam, delectum, Reyß / Folge / vnd

Chassan. part. 5. Catalog. glor. mundi. 20. Vt testatur. De Regni Bohemiæ iuribus lib. 2. cap. 6. in fin.

Sozomenus. lib. 6. histor. Eccles. cap. 6.

vnd Musterung / 4 Soluendo contributiones, & collectas, Exemplum debitæ huius obedientiæ est in Apibus, si vera sunt, quæ de apibus scribuntur. Natura suas vires in his non minus, quam perfectissimis rebus videtur posuisse, Imprimis Rempublicam habent, autore *Plinio*. Consilia priuatim ac Duces gregatim & mores habent, Hyeme conduntur, quod sint infirmis ad ferendas pruinas niuesque, & flatus aquilonum viribus, Antè fabas florentes non exeunt ad opera, & labores, Quum per cœlum licet, nullum diem perire sinunt ocio. Fauos construunt, ceram fingunt, domos, cellasque faciunt: deinde sobolem, postea mella, & ceram ex floribus electissimis: neque floribus mortuis, neque corporibus insidunt. Consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula vlteriora mittunt. Noctu deprehensæ, in expeditione excubant supinæ, vt alas à rore protegant. Noctu quiescunt in matutinum, donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, aut buccino aliquo. Tunc vniuersæ prouolant, si dies mitis futurus est, præuident enim ventos & imbres, & tunc se continent tectis. Quum ad opus processerunt, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore guttasque lanugine totius corporis. Adolescentiores ad opera exeunt, & supradicta conuehunt: Seniores intus operantur. Intus enim & foris officia sunt diuisa, Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt; aliæ comparant. Simul vescuntur. Gerulæ secundos flatus captant. Si cooriatur procella, apprehensis pedusculo lapillis se librant. Cessantium inertiam notant, castigant mox, & puniunt morte, nullam in aluearijs spurcitiam permittunt. Immunda procul omnia amoliuntur. Quum aduesperascit in alueo strepunt minus ac minus, donec vna circumuolet, eodem quo excitauit bombo, ceu quietem capere imperans. Tunc repentè conticescunt omnes. Domos primum plebeiis ædificant, deinde regibus. Fucos velut degeneres & seruiles, primos ad opera expellunt, ac tardantes sinè clementia puniunt. Maturescente melle eos abigunt, aut etiam trucidant. Rex, nullum habet aculeum, maiestate tantum armatus. Ei obediunt omnes, & protegunt vna. Totum examen circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Quum populus in labore est, opera circuit similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam, lictoresque assidua custodientes authoritate. Quum procedit

Historiâ Apum probatur Respublica

NB.

procedit foras, migrat simul examen. Quæque proximam illi se cupit esse, & in opere conspici, fessum humeris subleuant, validius fatigatum ex toto portant. Si forte aberrauit, prosequuntur odore. Vbicunque consedit, ibi cunctarum Castra sunt. Fœdos odores, odio prosequuntur & infectos. Vnguenta redolentes infestant. Impugnantur à Vespis, Crabronibus, hirundinibus, & quibusdam aliis animantibus. Defunctas proferunt, & funerantium more comitantur exequias. Rege mortuo mæret plebs ignauo dolore. Non cibos conuehunt, non procedunt. Tristi tantum murmure glomerantur circa corpus eius: Et si hoc in brutis animantibus etiam inferioribus tanta erga Regem suum est fidelitatis, quid dicent Imperii Romani Vasalli? quibus vt viris fortibus Imperator feuda dedit vtenda fruenda, vt amore & dilectione Princeps esset tutior, & isto nexu, sibi amplius deuinciret, qui proinde parati esse debent pro ipso promiscuè sanguinem fundere, vel haurire, perdere vel perire. Consideremus Virtutes Maiorum nostrorum, si non infinitæ, certè tamen variæ & complurimæ fuerunt, quas iustâ successione, vna cum hæreditate paternâ adhuc hodie tenemus. Inter easdem verò fidelitas maxime erat nobilis, & præeminens, adeo vt plerique Romanorum Imperatorum, ab vsque Augusto Cæsare, corporum suorum custodiam Germanis, præ omnibus populis aliis commiserint; quod hodieque ab omnibus ferè Europæ fit Regibus. Hoc & agnoscit Tacit. *Annal.* 13. inquiens, *Nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse.* Sed neque hodie quidem ea virtus in minori est pretio, honore & religione, ita vt etiam exteri in ore habeant. Fidem, si toto orbe reliquo pelleretur, in vna Germania tutum refugium inuenturam; cum & plerique inter Germanos adhuc hodie boni sint. Facessant autem maligni illi obtrectatores, qui non ob fidem, sed ob simplicitatem, Germanos olim in Principum Custodias fuisse delectos, & nunc deligi affirmant. Simplicitatem nusquam, fidem vbique appellant authores veteres grauissimi. Die Teutschen seynd vor Zeiten wegen jhrer Kriegsdisciplin / mannlichen Tugendt / Redlichkeit vnnd Erbarkeit / bey allen Nationen gerühmet worden / Reuter Bestallung zu Speyr auffgericht *Anno* 1570. *in princ.* Præterea accedit in laudem Nationis nostræ, feruor bellicus, summa tamen virtute temperatus, Tacitus inquit; Nemo bellum Germanis

Cluuer. d. lib. 1. c. 19. p. 169.

Iohann. Bolognetus ad l. vlt. C. de pact. n. 66.

intulit

intulit impunè. Expertæ id quondam tres ſub Auguſto Legiones ſuperatæ: Experti, Carbo, Caſſius, Scaurus, Aurelius, Seruilius, Cœpio, Manlius, Magni Imperatores, quos modo cæſos, modo fugatos vidit Germania. Gerhardus Mercator *in Atlante p.* 214. Veteres ſunt rhytmi: Welcher im Krieg will Vnglück han / der fang es mit den Teutſchen an / Huius rei prætereà duplex mihi ad manus teſtimonium eſt, vnum Pontificis, alterum Imperatoris. Clemens VII. Pontifex *in breui ad Circuli Sueuici membra.* Die ſtreitbahre Nation, die deß Heyligen Reichs Grundtfeſt / der gantzen Chriſtenheit Stärcke vnd Zierd: (Quod licet in marginalibus ibidem, Hordlederus exaudiat de Sueuis dictum, attamen probo ſenſu, ac ratione commodâ, generalitatem non reſpuit: Habent tamen hoc Sueui præcipuum, ab anno vſq; 780. Daß in allen Teutſchen Heerzügen ſie den Vorzug halten / vnd den erſten Angriff thun.) Solent Germani virtute cum hoſtibus, non fraude certare, nihilque acrius, quam perfidiam vlſciſci, ſceleribus, non nomini hoſtium iraſci; oportet armatum eſſe, quem oderint, vt corpore candidi, ſic etiam animi ſinceri, & veritatis ſunt amantes. Seneca ait, Germanis, quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriuntur, quorum vna illis, alia negligentibus cura, vnde Iulianus Imperator eos *Audaces* vocauit, Gens Sueuorum dicitur Germanorum omnium longè bellicoſiſſima. Ideò Germani populi Romani hoſtes olim dicebantur, Germania eſt ampla, populoſa, fortis, diues, & ſibi ſufficiens, Imò inter reliquas Europæ nationes, Germana primas hodiè obtinet, & inter eaſdem inſigni prærogatiua præfulget, vt inter Stellas Luna minores. Cum Philippus Infans, poſtea Rex Hiſpaniæ, Anno 1549. ad vrbem Anuerſam aduolaret, ſolemni introitu excipiendus, primum quidem Itali, calido ſæpius inter ſeſe egerunt animo, curandum, vt iuſtiſſimis de cauſis ipſi reliquas omnes nationes præcederent; ſed conſiderantes deinde, non dominari Italiæ vnicum aliquod caput, ſed ob priuatos gentis diſſenſus, meliorem terræ partem ſubiugatam eſſe ab exteris, nihil vltra moliti ſunt. Dani & Vrbes Hanſeaticæ ſpontè ceſſerunt Germanis; nouo tamen exemplo, præferendos ſe contendebant; Hiſpani. Sed enim Imperator Carolus Quintus, litem decidit ſecundum Germanos. Luſitani quoque & Angli, varie inter ſe diſceptabant,

Lib. 1. De Irâ.

Referente Cyrillo. lib. 4. contra Iulianum.

C. Iulius Cæſar. lib. Comment. Belli Gallic. 4.

In L. 24. ff. De Captiu. & poſtlim. reuerſ. L. 11. ff. De Euict.

ptabant, at Cæsar singulis ritè perpensis, Anglos liberè prætulit. Cui sententiæ, cum Lusitani non acquiescerent, etsi plurimùm pecuniæ insumpsissent in vestes, & cæterum apparatū, à pompa tamen se abstinuerunt. Florentini protestabantur aduersum Genuenses, qui videlicet niterentur ipsos præcedere: at Cæsar indecisam reliquit hanc litem, & ne forte venirent ad manus, iussit, vt vtraque natio, splendidissimè iam accincta, & tantum non in equis, continerent se domi: tametsi paulo ante, Rex Galliæ, læto suo introitu Lugdunensi, ex Romana hodie consuetudine, pronunciasset pro Florentinis: Hæc ad fidem refert historicam, * vnicū illud si eximas, quo Italis popularibus suis, iustissimas præcedentiæ tribuit causas. Quam iustæ eæ fuerint, vel esse potuerint, nunc nec disputo, nec conijcio, illud clam me non est. Constantiæ in Concilio, inter nationes primum tenuisse locum Italiam, alterum Galliam, tertiū Germaniam, quartum Hispaniā, &c. At vero cum hoc, alio nitatur fundamento, & in conciliis, Nationes sua obtineant loca, prout quælibet prior, vel posterior, in suscipiendo verbo DEI fuerit, nostris hæc minimè obstant, quæ dignitatem & proëdriam politicam Germanis addicunt. Cum Maria Medicæa, in Franciam, Regi desponsata, appulisset, Lugduni magnificè excepta fuit, postridiè cuncti vrbis ordines, ad Reginam admisi, quibus Cancellarius, eius nomine respondit. Archiepiscopus Lugdunensis stans verba fecit, cæteri ordines & nationes, de geniculis. Germani, & qui Vrbium Imperialium nomine aderant, Heluetij, &c. Rheti, cum stantes Reginam alloqui vellent, initio à Cancellario prohibiti, verum cum illi id sibi iuris semper anteà, & cum Henricus II. vrbem ante quinquaginta annos ingrederetur, fuisse, dicerent, & rem, Præfecti, aliorumque magistratuum testimonia confirmarent, antiquam inter alias nationes prærogatiuam retinuerunt: Atque hæc de Germanis. consequens est, vt nunc paucis, de ipsa quoque, quàm incolimus, agamus, Germania. Ea ampla est, populosa, fortis, diues & sibi sufficiens, vt facili negotio, omni externo hosti resistere valeat, tanquàm corpus, quo nullum robustius, aut hodie est, aut olim fuit: Amplam dixi eam, quæ à Ptolomæo Magna (licet forsan alio respectu) appellatur. Etenim secundum tritum veriverbium, Drey Italien machen ein Franckreich / drey Franckreich machen ein Teutschlandt. Populosa

Margin notes: * *Guiccardin: in descript: Belgÿ pag. 78.* — *Ex Aenea Syluio lib. 2. de gestis Concil. Constant.* — *Thuan. lib. 125. histor. pag. 927.* — *Thuan. lib. 2. histor.* — *Cluuerius lib. 1. German. antiquit. c. 11. pag. 65.*

pulosa est, Alß die sonderbare Begierde zu dem Weiblichem Geschlecht trâget / *Vide* die *remedia* wieder die Beschwerden der Teutscher Nation §. 13. apud Goldast. in Reichs Satzung. *p.* 217. Hoc confirmant tot & tantæ Germanorum migrationes, in omnes ferè terrarum oras. Tot expeditiones in Palæstinam, & alias exteras gentes, vt vix credibile videatur, tantæ hominum multitudini capiendæ, tellurem vniuersam fuisse sufficientem. Confirmant illi, qui notarunt, postulante necessitate, à Germania, nonaginta peditum, & viginti quinque Equitum millia. Vel centum peditum & plusquam 30. equitum millia vel ducenta millia ibi colligi posse, vt nulla eius regio viribus aut viris denudetur, Et Boterus viri boni officium fecit, errorem à se commissum corrigendo, quo Germaniæ, angustissime licet circumscriptæ, centies centena hominum millia tantum tribuerat; postea altero tanto maiorem, hominum numerum consignando Lans. *d. loco.* Fortis est, teste consiliario Regio, apud Cominæ. *lib.* 5. (*mihi*) *166.* Rerum Germanicarum non imperito, dicente: Germaniæ maximum & incredibile est robur: Germania tantas habet vires, vt fieri non possit, quin vno bello totæ atterantur. Idem verò sensit & scripsit, tum Calchondyles Atticus, tum Petrus de Andlo prior. Se non nosse gentem aut honestiorem Germanicâ; eam, si concors, inuictam esse. Confidenter loquor; *inquit*, si Germani Principes Imperatori fideliter assisterẽt, prout temporibus antiquis consueverunt, omnis profectò potestas cõtraria videretur parua. Quod cum optimè constaret Carolo Quinto Imperatori necessario stratagemate, Germanicũ robur cõtrario Germanorũ robore vincendũ arbitratus est: Sufficientem sibi, dixi, Germaniã, & vere dixi, Germaniæ. n. nostræ ad molliter luxurioseq; agendũ multa, ad benè commodeq; viuendum, nihil deest: Et certè res ita se habet, vt Germania suo se sustentet prouentu, omne necessarium tam abunde domi habens, vt si finitimorum gentium commercio fruatur, hoc ad amicitiam, non ad necessitatem, ad beneuolentiam, non egestatem faciat. Atque ea, quæ hactenus minutatim relata, elegantissimo Æneæ Sylu. *Epistola* 131. encomio, obsignare lubet, dum ita fatur: Mihi, seu noua consideranti, seu vetera mente repetenti, inter omnes Nationes, quas bello idoneas iudicant, nulla expeditior, nulla fortior, nulla peritior, nulla audentior, quã vestra, ô Germani, videtur. Vobis

Parthen. litigos. lib. 1. c. 16. n. 7.

Kirchner. de Republ. disp. 2. addit 3.

Lansius de princip. Prouin. Europ. p. 94.

Lib. 2. Rer. Turcic.

Alter lib. 1. de Roman. Imperio. cap. vlt.

Thuan. 26. histor.

Cluuer lib. 2. de Antiquit. German. cap. 12. per tot. & pag. 102.

homines, vobis equi, vobis arma, vobis pecuniæ ſunt. Nulla natio tam grandis ſub cœlo eſt, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt vobis Dominus Deus Veſter. Et vbi obſecro tot Clariſſimi Principes, tot generoſi Proceres, tot fortiſſimi equites, tot potentes Ciuitates, tot diuitiæ, tot auri, tot argenti, tot ferri mineræ? vbi tanta multitudo populi, tanta iuuentus, tantum animi, tantum roboris? Germaniæ fines, vt veteres tradunt, ab Oriente Viſcella Fluuius, & Hungaria fines fuere: ab Occidente Rhenus, à meridie Danubius, à Septentrione Oceanus & mare Balthicum, quod Prutenicum vocare poſſumus: Nunc quantum extra hos terminos poſſideatis, ipſi videbitis. Vos Angliam, pulſis Britannis occupaſtis: Vos Belgarum, Heluetiorumque fines, eiectis Gallis, obtinuiſtis: vos Rhetiã & Noricum inuaſiſtis, vos vſq; in Italiã pedes extendiſtis: Vos Hulmerigros, qui nunc Pruteni vocantur, ex manibus infidelium extraxiſtis. Vos igitur magni, vos bellicoſi, vos potentiſſimi, vos fortunatiſſimi, ac Deo accepti Germani eſtis, quibus adeo fines extendiſſe licuit, & ſuper omnes mortales Romanæ potentiæ datum fuit obſiſtere. Nam terrarum iſte calcator omnium, & orbis domitor, Iulius Cæſar, quamuis ſubactis Gallis, ſæpè Rhenum tranſiuerit, reſque maximas in Germania geſſerit, bellicoſam tamen & aſperam Sueuorum gentem dimiſit indomitam. Auguſtus Octauianus, cui & Parthorum & Indorum Reges munera miſerunt, qui vnus omnium Romanorum fortunatiſſimus creditus eſt, de quo illa ſunt metra.

Auguſtus Cæſar Diuûm genus, aurea condet
Secula &c.

Iſte, inquam, feliciſſimus Imperator, nullibi vnquam, niſi apud Germanos ſuccubuit. Ego hodie bello contra Turcam ſuſcipiendo, etiam Italis, Gallis, Hiſpanis, Hungaris, Bohemis, Raſcianis, Bulgaris, Illyricis, Græcis, Aſiaticis domi manentibus, ſolam Germaniam ſuſſicere non dubitauerim. Scio enim Gotfridium, qui fuit Lotharingiæ Dux cum ſolis trans-Rhenanis Teutonibus, & aliquibus Gallicis, paucis Italis, Hungariam percurriſſe, Græciam penetraſſe, Helleſpontum tranſiiſſe, Aſiam permeaſſe, Hieroſolymam ex poteſtate infidelium vendicaſſe, victis & proſtratis omnibus, qui occurrerunt.

Anagram-

Anagrammata diuersa, ad Librum hunc Secundum, Coronidis loco notanda, quæ exinde suam declarationem per indaginem solertem sortiuntur.

AUSTRIACUS.

1.	*Cuius ASTRA,*	6.	*Saciaturus,*
2.	*Vis, Tus, Arca,*	7.	*Vsui, CASTRA,*
3.	*Curis Vasta,*	8.	*Auis Cursat,*
4.	*Curvis ASTA,*	9.	*Curtas Vias.*
5.	*Vita, Sarcus* *		

* Σάρξ, σαρκός.

Confero proinde, prædeducta, de VELLE IMPERATORIS VELLE, cum hoc Articulo, præmissæ,

de,

ALEXANDRO MAGNO, historiæ.

NOn cunctatus est, ALEXANDER, quin idem, quod Medicus vellet, traheretque in se ore suo, (quod PHILIPPUS dicebat) Spiritum sui Medici.

Hinc infertur; Subdite.

VELLE Tuum nihil est, nisi & hoc velit Induperator.

* * *

LIBER TERTIUS.

VELLE IMPERATORIS FRUI, ſcilicet, Ὁμοψυχίας, ſeu vnanimitatis huius, EMOLUMENTA.

Emolumentum Primum.

SANITAS ALEXANDRI, ſeu Imperij Romani.

Exegeſis, & Monitum, ad hunc Librum, III.

ALexander pro tàm conſtanti erga Philippum Medicum judicio, digniſſimam mercedem, integram Valetudinem intrà triduum recepit, Ideò PHILIPPUM Seruatorem ſuum, vnâ ſecum perduxit, ad ſtatiua militum, vbi pro ſe quiſque dexteram Medici amplexus, grates habebat, veluti præſenti Deo.

Lib. III. CAPUT I.

Ὁμονοία, ἕνωσις, συμφωνία, ſeu vnanimitas, vnio, concordia concors, ſeu VELLE SUBDITI, cum VELLE IMPERATORIS conſentiens, eſt PANOPLIA omnium virtutum, ex qua Arma ſuppeditantur, in omne genus Calamitatum, & quidem, I. PAX, & gaudium ingens.

Iob.cap.9. v.4. QVis enim reſtitit ei? ait Patientiæ paradigma, & PACEM habuit? Pax hæc, quæ Origo, cauſa efficiens & finis Architectonicus Gubernationis Imperij, multiplex eſt. Conſtituitur quippe totius bonæ gubernationis Regni baſis, vt Finis, PAX ſubditorum, & CONCORDIA, *quà Res paruæ creſcunt*, vt DISCORDIA *maximæ dilabuntur*,

Concor-

Concordiâ fulciuntur opes etiam exiguæ, &
Coniuncti pollent, etiam vehementer inertes. Homer. Iliad. v.

Cuius vel Scyluri, 80. liberis suis porrecta tela documento esse possunt, Dann Vnfriedt verzehrt / was Friedt ernehrt/ Estque Pax vincenti decora, vtilis, vt bellum adimens, tuta à Belli discrimine. Rex ità Pacificus dicitur, *in Proœmio Decretalium.* Artaxerxes etiam in Epistola scripta centum & viginti Ducibus Prouinciarum sibi subditis, inter cætera, ait, Prouidendum esse PACI omnium Prouinciarum: Regibus suscipienda bella, vt in PACE, sine iniuria viuatur. Hinc vniuersa Reip. Administratio, in duas partes diuiditur, PACIS & BELLI, & vtraque sollicitudo Principatui adhæret.

Reusn. in Symb. Imper. class. 3. Symb. 13. *Esther, cap. 16. vers. 6.* *M.T. Cic. lib. 1. Offic.* Virgilius.

Tu regere Imperio populos Romane memento
Hæ Tibi erunt artes, PACIq; imponere morem
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Et Flaccus ad Augustum.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes
Legibus emendes.

Apud Thucydidem, Pericles, laudat Athieniensium Rempublicam, *Ad Pacem & ad Bellum instructissimam.* Monarcha quoque talis esse debet. Et quidem cœpit Regia imperandi Potestas à PACE, CONCORDIA, & *Voluntate* subditorum, & à Legibus his datis & conseruatis. Opus autem fuit benè instituta Republicâ, aduersus improbos vi, & innocentes conseruare, quod gladiique peritiam necessario exposcit: & quo minor est iniustè occisi restitutio, bellorumque inique gestorum sera pœnitentia; & cum periculosius in his delinquatur, cum non liceat bis in bello peccare, eò magis disciplinæ rei militaris ars, & scientia, in eo cui illa absolutè committitur bellorum potestas, exigitur, ne temerè subditi periculis inemendabilibus exponantur; Ità maximè hæc bellandi, & armorum scientia Regia erit in præcauendis, suscipiendis, indicendis, exequendis, & componendis bellis. Causas autem horum omnium, ex Legibus, iureue vtroque diuino, & humano, expendet. Sic Leges gladio conseruabit, gladij verò furorem, Legibus rectissimè temperabit; Legibus vtetur, vt bella præcaueat, pacem conseruet, armis autem, vt pacem stabiliat & Leges confirmet, & muniat: hæcque duo bene imperanti, & iubenti necessaria admonet Idē Iustinia-

Iustinianus in Proœm. Institut.

Nouella. 24. in pr.

Iustinianus, qni tempore belli, & PACIS munia cuique tempori accommoda, exsecutus est, & in constitutione, *de Præside Pisidiæ*, in Præfatione. *Nunquam sanè credidimus: Veteres Romanos, ex paruis, adeoque minutissimis Principiis tàm amplam constituere Rempublicam, & totum exinde terrarum Orbem (penè dixerimus) sibi adiungere, & premere, ac tueri Imperio potuisse, nisi maioribus in prouincias Magistratibus missis, plus eâ re dignitatis sibi comparassent; simulque illis Armorum iuxtà ac Legum potestatem fecissent, neque non ad vtrumque accommodato, & idoneos habuissent, quos quidem Prætores vocabant, appellatione illis ex eo indita, quod cæteris omnibus præirent, & præponerentur, permissa scilicet eis tàm rei bellicæ administratione, quàm Legum præscriptione.* Hæc PAX, & CONCORDIA consideratur, 1. Inter Deum & Principem & Populum, 2. Inter ipsum Principem & Subditum, 3. Inter Subditos ipsos. 4. Inter Subditos, Principesque eius, & extraneos, vel vicinos. Pax cum Deo prima, & quæ causa & Origo totius boni in Republica, Amor & Concors animus Principis cum Ciuibus, præcipuum est Politicum fundamentum, & constantis Principatus vnum est inexpugnabile munimentum. Amor Ciuium, nec pulchrius est, quàm viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus. In hoc consistit vera Principis Prudentia, vt sciat conciliare sibi populum, & conciliatum continere in Amore sui, cum optimis Legibus: modestia ità & patientia ab initio necessaria est, vt quod statim non potest populus pati, paulatim assuescat. Suscipiendi belli, pacisque componendæ potestas, penes vnum Principem est, si Monarcha sit, id est, Imperatorem Nostrum. Subditorum interrupta inter se Pax, Seditio dicitur, aut Ciuile Bellum, Factio. Rixæ verò contrà Principem populi, discordia magna, Rebellio, Crimen læsæ Maiestatis. Apud Homerum inducitur Prudentissimus Heroum, qui Marti succenset. *Inimicissimus,* inquit, *mihi es, & olim semper tibi grata fuit contentio, semper placent, bella & pugnæ.* Producitur dehinc alius prudentissimus dicens, *Malus Ciuis, scelestus & vagus est, qui Bellum publicum, & asperum appetit*, Euripides Poëta, BELLUM SIMILIMUM MORBO esse, ait, & PACEM SANITATI: hanc enim quoque laborantes complecti & recreare, in illo vero & Sanos perire. Deinde in Pace senes sepeliri à iuuenibus ordine naturæ, ait: in Bello vero cõtrarium, scilicet, filios sepeliri à parentibus, ordine turbato: & quod

Senec. lib. 1. De Clemẽtia. cap. 10.

Iliade, 1. ibi, ἔχθιστος.

COMMODA PACIS, Incõmoda BELLI,

quod maximum eſt: In Bello, nec intrà muros ipſos eſſe ſecuritatem; At verò in Pace, eam eſſe, vſque ad terminos Regionis. Pax cum vicinis maximè & aliis ſecuritatem Reipublicæ adfert, & releuat eandem ab infinitis ſumptibus & calamitatibus, quæ conſequuntur Bella. Quare eam conſequetur Princeps, qui ſuis contentus nullum inuadet, vt principiò omnes Reges erant, ſuis ſit contentus finibus. Sicut Piſcis, Capito nomine, cum nullum animantem inuadat, aliis piſcibus confœderatus tutus viuit: Admonet etiam ratio Politica, ne Princeps diu bellum gerat, cum vicinis, quod illinc reddantur audaces, & bellatores exercitati. Sicque reſponſum eſt Ageſilao vulnerato à Thebanis, mercedem condignam ſe recepiſſe à populo, quem continuis bellis docuiſſet arma tractare. Hoc præcepto præualuit Turca aduerſus vicinos Principes Chriſtianos, quia non continuè arma cum eis contendit: Sed nunc cum hoc, mox cum alio, & vbi vni ademit Ciuitatem vnam, alteri Regnum, ſtatim ne daret illis occaſionem tractandi arma ſeriò, Pacem, aut Inducias cum illis faciens, ad alios arma conuertit, à quibus ademptis quibuſdam quoque, & facilè Pacem conceſſit eadem ratione, ne armis aſſueſcerent. Ipſe autem ſuos ſemper exercens veteranos facit, cum Chriſtiani ſemper ità inueniantur tyrones. Sed neque expedit prolongare cum ſubditis bellum, quia inde exaſperantur, & à principio aliquo naturali affectu, in Principem legitimum, honeſtis conditionibus deſcendiſſent, ſub iugum, tempore obdurati, in pertinaciam, & apertam incidunt rebellionem. Nemo eſt qui expertus Bellum, PACEM ſummis & ambabus vlnis, etiamſi aliquid in eâ non ſit ſemper omninò laudabile, non amplectatur, Maius enim naturâ abhorremus malum, & eius collatione, minus malum, Nobis quandoque bonum videtur. Neque quicquam dulcius Amicitiâ, quæ cum multorum eſt, PAX eſt, vt Bellum plurimorum inter ſe SIMULTAS, Eſt tanquã nouũ, quid, vel rebus humanis PAX, poſt rigidam Belli hyemem: Coluntur agri, vernant horti, paſcuntur lætæ pecudes, ædificantur vrbes, extruuntur oppida, inſtaurantur collapſa, ornantur & augentur extructa, creſcunt opes, aluntur honeſtæ voluptates, vigent Leges, floret Reipublicæ diſciplina, feruet religio, valet æquitas; pollet humanitas, clarent artes Opificum, vberior quæſtus pauperum, ſplendidior opulentia diuitum. Florent

BELLUM MORBUS

PAX SANITAS.

honestissimarum disciplinarum studia, conditur iuuentus, tranquillo fruuntur otio senes, bonis auspiciis nubunt virgines, & Concordia res paruæ crescunt, vt discordiâ maximæ dilabuntur. PACIS tempore boni honorantur, suum cuique conseruatur, puniuntur mali. Si quid feliciter in bello cecidit, quanquam id rarum, illud ad paucos eosque indignos sæpissimè commodum pertinet, cum ad omnes vtilitas PACIS pertineat: Belli victoria aliquando Principem, & quosdam Gloriola quædam exornat, sed ea non nisi cum luctu & subuersione personarum & fortunarum subditorum parari non potuit. Nec certè vnquam, aut rarò tàm feliciter bellum cessit, vt Cordatum victorem, belli suscepti non pœnituerit, si quam Principis boni in se naturam gerit, dum enim post adeptam victoriam, coniecit oculos, in expilatam plebem, orbos senes, raram Nobilitatem, Orphanos liberos, domos funestas, relictas viduas, constupratas virgines, violata matrimonia, arua deserta ab agricolis, squalidas terras, obæratum proprium censum, latrones reliquos, exustas villas, incensos pagos, direpta fana, subuersas vrbes, mœnia deiecta. Quid potest, inquam, si hæc & reliqua mala Princeps bonus consideret, aliud, quàm de victoriâ potius plangere, quàm lætari. Sicut Dracones exsugentes sanguinem Elephantorum, occidunt eos, & ipsi vicissim inebriati opprimuntur, & commoriuntur; Itâ sæpenumerò in bello, Pars vtraque & perimit, & perit, damnum dat, & accipit. Considera milites ferè omnes ad prædam auidos, quia quamuis alantur, veluti victimæ, vt cum opus fuerit, immolentur, tamen cum anima illa venali, nihil, quod sibi, vel aliis expediat, aut quæ ad PACEM sunt, desiderant, vt verè legatur in sententiis Philemonis Comici.

Neq; enim Medicus vllus, si benè perpendas est,
Suos qui bene velit valere amicos.
Neq; miles volens videre Ciuitatem sine malo.

Dulce bellum inexpertis, dulce piratis, latronibus, homicidis. At infandissimum his, quibus & liberi, & bona, & vxores, & propria vita crudeliter eripiuntur, vel antè oculos miserè affliguntur, & cruciantur, Et qui experti iam mala sunt, & flagella bellorum. Quibus nihil amabilius, quam PACEM quocunque pacto redimere, & redemptam, aut obtentam retinere, & cauere, ne vel iniuriâ lacessiti amittant.

tant. Et proinde Ethnici quidam, qui etiam ſapientiores inter Græcos habiti ſunt, & magis militari laude clari, cum hoc beneficium ſummum PACIS Dei munus agnoſcerent, & diuinũ, & verum Deum ignorarent, aras PACI, vt Numini dedicarunt, vt cum Timotheus Cononis filius Athenienſis, & Athenienſium Dux multis præliis Lacedæmonios viciſſet, & maritimum Lacedæmonij ceſſiſſent Imperium, victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, vt tunc aræ publicæ, PACI ſint factæ, & puluinar ei, velut Deæ ſit inſtitutum. Cæterum cum de Pace agitur conſtituenda, & conſeruanda, cauendum, ne eius dulcedinis prætextu, ab eo, quod iuſtum eſt, deflectamus, & ne cum torpore & otio virtutem Reipublicæ extingui, aut in vitiis, aut indigna libero populo ſeruitute ſordeſcere permittamus. Populorum ferocia corda longâ pace molleſcunt. Inutiles autem poſteà fiunt otioſi, & corrumpunt reliquos. Sed de hac materia inferius, fuſius.

Aemil. Probus, in Timotheo.

Pax non debet eſſe Rapax.

Petr. Gregor. Tholoſ. lib. II. de Republ. cap. 13.

CAPUT II.

In quo recitantur vlteriora commoda Pacis, & quo pacto Multi Principes, ex cauſis leuiſſimis grauiſſima bella mouerint.

CVm Timo, Rex Ponti antiquiſſimus; philoſophum quem penes ſe habebat, interrogaſſet; cum ipſe ſanitatem, honorem & diuitias haberet; an quicquam eſſet, quod inter homines optari præterea, vel à diis in hac vita peti fas eſſet; reſpondit Philoſophus: Equidem quod nunquam vidi, video; quod nunquam legi audio. Nam SANITAS, diuitiæ & honor rariſſimè vni à diis creduntur; & ſi in aliquibus interdum concurrunt; tam breuis eſt illorum poſſeſſio, vt iuſtiorem plorandi, quod iis ſpoliitari ſint; quam gloriandi, quod ea poſſederint, cauſam habeant, Quin parum tibi, (mi Rex) vt hoc etiam addam, hæc omnia Deos dediſſe prodeſt; ſi vt illis contentus ſis, non dant; quod quidem neque dediſſe tibi, neque daturos arbitror. Adeo quippe in diſtribuendo æqui ſunt dij, vt quibus animum ſuum contentum dant, iis diuitias negent, & quibus diuitias dant, iis animum ſuo contentum negent. Hæc Plutarchus *libro primo politices*

Anton: Guevar. in horolog. Princip. lib. 3. cap. 15.

narrat, & nomen Philoſophi non exprimit. Singulari Principes & megiſtanes afficit DEUS beneficio, dans eis ſanitatem, dans opes, dans honorem: ſed ſi animum ſuo contentum non ſimul dedit; illis datis, laborem aio & pericula ipſis dediſſe. QVAMVIS enim maior ſit labor pauperis, quam diuitis, infinitis tamen partibus maius faſtidium diuitis, quàm pauperis. Quod ſanitatem homines parui æſtimant, in morbos incidunt; quod diuitias, in paupertatem; quod non intelligunt, quid ſit honor; eo rediguntur, vt ſint inhonorati. Sic PRINCIPES malè feriati, non ante pacem parui pendere deſinunt, quam ſaucios prælia remittant. Quo die Principes bellum hoſtibus indictum præconis voce prædicari iubetis; eo die licentiam cunctis ſubditis, vt mali ſint, datis, Quod ſi minime vos, vt mali ſint, velle dicatis; aſſentior: At cauſam tamen illis, vt boni non ſint, præbetis. Age, QUID bellum ſit dicamus, & bonum an malum ſit bellum ſequi, apparebit. BELLORUM OPERA hæc ſunt: homines interficere, templa ſpoliare, populari regiones, deprædari inſontes, licentiam dare furibus, diſtrahere amicos, excitare ſeditioſos, quorum nihil ſine maximo iuſtitiæ detrimento, & conſcientiæ ſcrupulo fieri poteſt. Negare homines turbulenti nequeunt, ſi inter duos Principes bellum cooriatur, licet vterque queratur; ab vno tantum ius ſtare. Itaque SIVE iuſtam cauſam oppugnet Princeps, ſiue iniuſtam propugnet; nunquam belli exitus innocentem faciet. Si innocens non erit; condemnabitur ſcilicet. Erit autem hæc condemnatio, vt de omnibus damnis, cædibus, incendiis, ſtupris & rapinis, quæ in vtraque commiſſa fuerint, republica, rationem cogatur iniuſti belli autor reddere: Qui ſi nullum in hac vita habeat, à quo reddendam rationem cogatur: At IUDICEM habebit iuſtum, cui pœnas in altera (vita) perſoluet. PRINCIPES ſpectatæ virtutis, quique Chriſtianus haberi cupit, antequam bellum moueat, quid inde emolumenti aut detrimenti capturus ſit, conſideret: ſin feliciter; vt maxime voti compos reddatur, forſitan votum illud pernicioſum reipublicæ, & tum NON oporter eum velle, vt vnius cupiditas omniũ commodo præferatur. Quando DEUS principes conſtituit, & ſubditi pro Dominis illos receperunt; nec DEUM id mandaturum, nec homines id ratum habituros fuiſſe credibile eſt; ſi principes non ea, ad quæ aſtringuntur, ſed ea, ad quæ proni ſunt ſectaturos putaſſent, HOMINES enim ſi cupiditatum

ductum

ductum ſequantur, ſemper errabunt, ſi rationis dictamine regi patiantur, recte ſemper agent. Iam vero vt maximè principes à mouendo bello periculoſæ conſcientiæ, aut damno opum, aut honoris iactura non auocentur: Moueri debent certè, reſpectu OBLIGATIONIS erga ſuam rempublicam, ad quam in pace & iuſtitia conſeruandam devincta ſunt, NON enim gubernatoribus, qui hoſtes nobis attrahant; ſed principibus, qui improbos è nobis auferant, indigemus. Plato *lib.* IV. *de Legibus* refert, ſe interrogatum à quodam, quare tantopere Lydos celebraret, & Lacedæmonios vituperaret, reſpondiſſe: Lydos ideo ſe laudare, quod colendis agris ſemper occupati fuiſſent. Lacedæmonios vero ſe ideo vituperare, quod nihil niſi regna populoſque ſubiugare didiciſſent. Sibi enim FELICIUS videri regnum, vbi Viri manus moderando aratro calloſas, quam brachia vibrandis haſtis eneruata haberent. Hæc Platonis verba veriſſima ſunt; quæ vtinam portis, imo cordibus Principum inſcripta eſſent. Plinius Epiſtola quadam dicit, Apophthegma fuiſſe inter Græcos vulgatiſſimum; *EVM Regem eſſe, qui nunquam vidiſſet Regem*: ad eundem modum nos poſſumus dicere; EUM ſolum pace optatiſſima Frui, ſcire, qui quid bellum eſſet, nunquam didicit. Tam ſtolidus & rudis nemo erit, qui FELICIOREM pronunciet eum, qui linteolo ad detergendum vultus ſudorem vtitur, quàm qui ad exſiccandum capitis ſanguinem idem ſcindit. Principes ac megiſtanes belli, cupidi non tantum omnibus in vniuerſum, ſed potiſſimum bonis damno ſe eſſe cogitent, Ratio manifeſta eſt. Cum enim hi ſponte ſua neque pugnent, neque prædentur, neque tumultuentur, neque cædem faciant: iniurias patiantur, & damna iacturaſque ſuas ferent neceſſe eſt, NUNC enim non ſunt bello vtiles, niſi qui vitam parui, conſcientiam minoris æſtimant. Si bella tantùm cùm improbis, aduerſus improbos, & malo improborum gererentur, parum inde detrimenti, qui boni perhiberi volunt, acciperent. Verum proh dolor! BONI diuexantur, ſpoliantur, trucidantur, alioqui, ſi mali, vt dicebam, cum malis concurrerentur, parum vtri vincerent, & multo minus alteros vinci noſtra referret. Iam vero QUÆ fama, dignitas, gloria, victoria, opulentia denique bello parari poteſt, vt qui in illo accubuerint boni, non ſint pluris æſtimandi? TANTA eſt mundo bonorum penuria, tam ſunt iidem in rebuspublicis neceſſarii,

vt si fieri posset, cùm lacrymis essent è tumulis reuocandi, non ad bellum, tanquam in macellum, ad mortem (certissimam) ducendi. Plinius & Seneca in Epistolis dicunt, ducem quendam rogatum, vt cum exercitu suo periculum ingens subiret, vnde maxima ipsum maneret gloria, licet parum inde caperet respublica emolumenti, respondisse: Nullam ob causam id sese periculi suscepturum, nisi vt vitam Ciuis Romani conseruaret. MALLE, enim se multis stipatum bonis viris Romam, quam pecuniis onustum domum reuerti. Si Principem cum principe, religionem cùm religione, Christianum cùm pagano conferamus, infinities PLURIS æstimanda est Christiani anima, quam Romani vita. BONI enim Romani lex erat in bello mori, boni vero Christiani præceptum est viuere in pace. Suetonius Tranquillus *libr.* II. *de Cæsaribus* (*Cap. xx.*) dicit: ex omnibus Romanorum principibus nullum populo cariorem, nullum omnibus in bellis feliciorem Augusto fuisse, Quippe cum Princeps ille optimus nullum vnquam bellum, mouerit, quin grauissimam ipsius suscipiendi causam habuerit. De quot principibus non pagani, sed Christianis plane contrarium audiuimus & legimus? quod nimirum tam prodigi suæ fuerunt conscientiæ, vt nunquam bellum vllum, quod iustùm esset, mouerint, quibus ego iuratus promitto. Si bellum, quod hîc gesserunt, iniustum fuit, pœnam, quam illic luent (& perferent) iustissimam fore. Xerxi Persarum Regi aliquando prandendi cum Caricæ Atticæ, pulcherrimæ, & gratissimi saporis, appositæ essent: super mensa per deos iurans immortales & maiorum suorum testatus cineres, negauit venales sese, nisi, quæ illas edidisset, subiugata regione, comesturum. Quod autem verbo iurauit, Xerxes id opere præstitit, mox ad subigendam Græciam omnem, tantum vt caricis illius expleretur, profectus: atque ita bellum illud non solum, vt Princeps leuis, sed etiam vt homo gulosus & vitiosus mouit. Tit. Liuius (*lib.v.*) autor est, Gallos gustato Italiæ vino mox arreptis armis, ad subigendam illam, profectos esse, cum aliam nullam haberent, vel paruam, vel magnam faciendi belli causam, atque ita Galli pro vino Italico sanguinem mutarunt proprium. Antigonus Rex cum quadam nocte secundum quietem vidisset Mithridatem Regem, falcem manu tenentem, qua (agricolæ vel) messoris instar vniuersam meteret (& truncaret) Italiam, adeo timere cæ-

pit

pit Mithridatem, vt eum quoquo modo interficere statueret. Ita Rex stolidus somnio credens vanissimo ad arma totum concitauit orbem, Audierant Longobardi, in Pannonia degentes, Italiam pomis dulcibus, carne succi plena, vino odorato, pulchris fœminis, piscium varietate abundare, & rara frigora temperatosque calores habere: Quo nuncio accepto, rerum illarum cupiditate inflamati, arma, Italiam occupaturi, sumpserunt, Itaque Longobardi, non vt hostes vlciscerentur, sed vt vberiorem viciorum ac diliciarum materiam haberent, in Italiam venerunt. Longissimo sanè tempore constans inter Carthaginenses & Romanos fuit amicitia, Sed posteaquam ditissima auri argentique venas in Hispania esse intellexerunt; statim ad bellum consurrexerunt acerrimum. Ita populi illi nobilissimi, vt opes raperent alienas, terras vastarunt proprias. Eorum quæ diximus autores sunt Plutarchus, Paulus Diaconus, Berosus & Liuius. O arcana Dei ista permittentis iudicia! O immensam Domini tolerantis ista bonitatem! Quid enim? An ob vnicum Principis in lecto somniantis insomnium, ob rapiendas opes Hispaniæ, ob fugienda frigora Hungariæ, ob bibenda vina Italica, ob comedendas caricas Græcas, igni ferroq; vastâda fuit terra vniuersa? Non petit stili mei mucro Principes, qui bella gerunt, vniuersos; sed qui bella gerunt iniusta. Nam Traianus dicebat; Iustum *bellum pace suspectâ tutius est.* Principes in conserandis iis, quæ à maioribus acceperunt, diligentes atque animosos laudo, probo, prædico. Nam si fortè, ne possessione exturbentur, cum aliis Principibus dimicandum sit; Æque rempublicam, qui sua non defendit; quam hostis, qui aliena rapit, conscientiam lædit. Valdè mihi placent verba Platonis lib. v. de legibus, Non decet nos nimios esse in laudandis iis qui pacem custodiunt, aut immodicos in vituperandis iis, qui bellum gerunt. Fieri enim facillimè potest, vt qui bellum gerit, consequendæ pacis; cõtra verò qui pacem colit, mouendi belli causa id faciat. Quid hac voce Platonis verius? Breve. bellum longæ pacis gratia, quam longi belli gratia breuem optare pacem, satius est. Chilon Philosophus interrogatus, quanam re gubernator bonus malusve internoscerentur; Nihil, inquit, est quod virum bonum aut malum magis prodat, quam id de quo contendunt. Tyrannus enim rapiendo alieno immoritur: at spectatæ virtutis

Princeps

Princeps pro ſuo defendendo laborat. Redemptor mundi ex hoc mundo abiturus (& in cœlum aſcenſurus) non dixit; Bellum relinquo vobis, bellum meum do vobis; ſed, *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* vnde efficitur; veri CHRISTIANI eſſe pacem potius tantopere à Chriſto commendatam conſeruare, quam bellum vlciſcendæ iniuriæ ſibi illatæ gratia mouere. Si fungerentur ſuo Principes munere, & credere hac in parte mihi vellent; NULLAM ob rem momentaneam permittere deberent ſanguinem effundi humanum; niſi pro eo tantum, qui ſuum pro nobis ſanguinem in cruce offerre voluit. VERI enim Chriſtiani ad deploranda peccata ſua aſtringuntur, hoſtilem verò ſanguinem effundendi licentiam non habent. In ſumma, Principes & Monarchas vniuerſos rogo, hortor, obteſtor, vt PROPTER eum, qui Princeps eſt pacis, pacem ament, pacem procurent, pacem conſeruent, in pace viuant. IN pace enim & ipſi opulenti, & ſubditi felices erunt.

CAPUT III.

Initium Epiſtolæ Marci Aurelij Imperatoris ad Cornelium amicum, quâ de laboribus belli, & vanitate triumphi agit. Epiſtola legenda Principibus belli amantibus, & pacis contemptoribus.

MARCUS IMPERATOR Romanus, Cornelio amico fideli, ſanitatem, & contra fortunam aduerſam à Diis immortalibus felicitatem, ac ſibi, precatur. Dies hic eſt XV. ex quo confecto bello, ex Aſia, de qua Romæ triumphaui, reuerſus, cum recordatus eſſem, ſocium te olim laborem fuiſſe meorũ; ſtatim qui te accerſerent, vt meo frueneris triumpho, miſi: ANIMIS enim generoſis maiori lætitiæ ſunt amicorum gaudia, quam oblectationes propriæ: Etſi autem laborioſum tibi fuiſſet venire, quando accerſi te iuſſi; tamen nihil dubito, quin partim magnam percepturus fueris voluptatem, amplitudinem videns opum, quas ex Aſia afferebam, & apparatum, quo Romæ excipiebar, partim lachrymis minimè temperaturus, tot videns genera populorum captiuorum, qui ante currus incedebant triumphales deſpolia-

deſpoliati & catenis, vt maiore victores gloria, ignominiaque victi afficerentur, onerati. RARO diem aliquem ſole clariſſimo ſerenum videmus, quin aut ros in æſtate largus, aut pruina hyeme frigidiſſima præceſſerit. Quorſum iſta? Vt oſtendam ex infelicitatibus, quas felicitas habet humana, hanc quoque eſſe, quod RARISSIMOS licet in terris videre felices, quorum non indè oriatur felicitas, quod alii fuerunt infelices & infortunati, in quorum illi opes & honores ſucceſſerunt. Dum ad paupertatem alteri rediguntur extremam, opes alteri adipiſcuntur luculentas; dum illi affliguntur, hi felicitatem ſummam conſequuntur, aliis vbertim lachrymantibus, ſolutum alii riſum edant: Non aliter atq; in hauſtris aquariis, niſi modioli ad ſummum elati deſcendant vacui, non poſſunt illi aſcendere, qui in imo aqua pleni ſunt. Si igitur ſenſus in Concilium adhibeantur, iucundus aſpectu fuiſſet tibi dies triumphi noſtri, dùm ex diuitiarum abundantia, captiuorum numero, beſtiarum varietate, ducum præſtantia, machinarum, quas ex Aſia adueximus, & cum quibus vrbem intrauimus, horrore, facile pericula, quæ in bello exhauſimus, coniectare potuiſſes. Nam vt verum fatear, tam acriter vtrinque certatum eſt, vt optime nobiſcum actum videatur, qui corporibus grauiter ſauciatis euaſimus, & venas omnes tantum non ſanguine vacuas habemus. Sic enim habeto Corneli, bellicioſiſſimos eſſe Parthos, & in rebus bellicis obſtinatos atque audaces, & in terra ſunt præſentiſſimo animo, ſuos quemque penates propugnare. Et quis neget illos hac in parte virorum prudentum & ſtrenuorum bellatorum fungi officio? Si enim nos Romani ſine ratione & cum ambitione occupatum imus aliena; æquiſſimum eſt illos ratione iuſtitiaque duce propria tueri. Omnino MALIGNUS & imprudens admodum ſit oportet, quicunque duci triumphum à Senatu populoque Romano datum inuidet. Sciant enim, qui neſciunt, PRO vnico die, qui datur, glorioſo, vel millies ab infelice vitam in aleam mittit. Quid dicam? quod CUNCTI, quos infelix triumphator vel in militiam ſecum ducit, vel Romæ relinquit, iniqui ſunt famæ ipſius iudices. Non enim perſonæ merita in iudicando ſpectantur, ſed inuidiæ arbitrio ſtatur. Etiamſi tolerantiſſimus & non planè immoderatus habear, tamen ſcito mi Corneli, nec patientiam vllius ſuſtinere, nec animum diſſimulare poſſe, ciuium plerorumque quos merâ

vecordia nunquam exercitum ſequi auſos veriſſimum eſt, in aliorum triumphis invidentiam & obtrectationem. VETUS enim hæc liuidorũ peſtis eſt, eludere & eleuare malignè, quicquid propter deſidiã aggredi ipſi non ſunt auſi. Quanquam autem tum vita periculo toties in bello exponenda, tum voculis deinde obnoxia exiſtimatio eſt: tamen ADEO ſtolide inepti ſumus, tanti ventoſa hominum iudicia facimus, vt ſermunculi potius vani, quam vllius emolumenti noſtri gratia exiſtimationem noſtram cum labore periculis obiicere, quam vita cum quiete frui malimus. HOMINES enim vani tantum, vt in aliorum hominum vanorum hæreant memoria, cuilibet ſeſe labori vltro offerunt. Deos teſtor, mi Corneli, immortales, die triumphali, dum curru triumphans inueherer, me apud animum cogitaſſe, quam leue ſit omnium in hoc ſeculo iudicium. ETSI enim à ratione moneamur, vrgeamur, vocemur; tamen audire illam recuſamus. Contra vero à mundo licet vituperemur, malè tractemur, odio habeamur; tamen adhærere & ſeruire illi iuuat. Aut ego fallor, aut hominum ſtultorum proſperitas & iudicium bonorum penuria in cauſſa eſt, vt omnibus invitis domos potius intrent alienas, quam bona cum gratia domi ſuæ quieſcant: Quippe FACILIUS eſſet virtutem ſectari & aſſequi, quam vitiis ſe dedere & immergere. ITA enim comparatum eſt, vt qui in omnibus & per omnia mundo gratificari volunt, infinitis laboribus curiſque inuoluantur. O Roma, Roma, exſecrabilis ſit tua amentia! Pereat tantæ in te ſuperbiæ autor! Deteſtabilis ſit hominibus, & abominandus diis, qui hanc in te pompam excogitauit! QUI enim vero illam adepti ſunt, pauci, at qui illius gratia peſſum ierunt, innumeri fuêre. QUID vanius dici, quid inanius cogitari poteſt, quam Ducem Romanum, quia regna debellauit, pacificos turbauit, vrbes deſolauit, arces ſolo æquauit, pauperes expilauit, Tyrannos collocupletauit; theſauros exhauſit, plurimum effudit ſanguinis innoxij, innumeras fecit viduas, multos denique viros nobiles vita orbauit, hoc auferre præmium omnium iſtorum damnorũ, vt pompa Romæ triumphali excipiatur? Vis aliam dicam amentiam maiorem? Ea vero tanta eſt, vt cum ea comparari nulla poſſit. Cum innumeri in bello occubuerint, vnus tantum gloriam ſibi vendicat, cumque infelices illi (& miſeri) ne exuuiarum quidem ſuarum ſepulturam meruerint, vnus

tantùm

tantùm Dux per orbem triumphans inuehitur. Ita me dij ament! vt ipso die triumphi mei, quod tibi tanquam amico creditum volo, cum ex curru triumphali captiuos intuerer catenis onustos, & pecunias contemplarer, quas vehebamus, prædatitias, multorum innoxiorum spolia, cumque viduas audirem infelices maritorum obitum deplorantes, & nobilium Ciuium, qui in Asia ceciderant, recordarer, & si lætitiam palam præ me ferrem, clam tamen guttas flens sanguineas profudi. Non enim homo, quales in mundo nascuntur; sed vna ex furiis est, quæ sedem apud inferos habent, cui damnum alienum voluptati (lætitiæque) est. Haud scio, quid de illo statuendum Principe aut Duce, qui ex bello reuersus, vt triumphanti sibi vrbem ingredi liceat, petit aut flagitat. Si enim quod rationi consentaneum est, vulnera cogitat, quæ corpore excepit, si pecunias, quas expendit; si oppida, quæ excussit; si pericula, quæ exhausit, si damna, quæ fecit; si homines plurimos, quos nulla de causa occidit; si amicos quos amisit; si inimicos, quos parauit; si quietem, qua vsus est, exiguam, si quantū & quam multis debeat, hæc, inquam, si cogitat, cùm gemitibus illum excipiendum dixerim, & inter largissimos lachrymarum imbres inuehi oportere. Ad triumphum quod attinet, nec Assyrios laudo, nec Persis inuideo, nec Macedones mihi satisfaciunt, nec Chaldæi placent, nec Græci probantur; Troianos vero detestor & Carthaginenses damno, quòd non amore iustitiæ; sed superbiæ furore impulsi triumphorum gratia consequendorum, & plurimas regnis suis, ærumnas attraxerunt, & interitus nobis causam reliquerunt. O Roma maledicta! maledicta fuisti, maledicta es, maledicta eris! Nisi enim aut fata mentiuntur, aut animus me fallit, aut rotam fortuna suam sufflaminat; Quæ nobis spectacula præbuerunt regna præterita; eadem Roma præbetis seculis futuris, vt scilicet quemadmodum per vim domina es facta dominorum, ita per iustitiam serua fias seruorum. O Roma infelix, imo infelicissima! non enim possum, quin denuo te compellem: Dic, mihi obsecro, cur hodie tanta prudentiæ caritas, tanta amentiæ vtilitas? vbi Patres tui prisci sunt, qui te & fundarunt & ornarunt, pro quibus nunc tyrannos habes, qui te & euertunt, & dedecorant? Vbi illi sunt, qui suum pro libertate tua sanguinem effuderunt; quibus illi successerunt, qui vitam, vt te subiugarent, ami-

ſerunt? vbi ſunt Duces illi ſtrenui, qui tanta muros tuos vigilantia & ampliarunt, & contra hoſtes defenderunt, quorum locum occuparunt, qui & mœnia tua euerterunt, & vitiis te ac vitioſis compleuerunt? Vbi ſunt Pontifices Maximi, qui in templis ſemper orabant, victimiſque Deos placabant; quibus ſucceſſerunt, qui nihil niſi templa violare, ſuiſque Deos flagitiis irritare didicerunt? Vbi Philoſophi ſunt & Oratores, quorum conſiliis regebaris, quibus iam tot imperiti rudeſque ſucceſſerunt, qui ſuis te flagitiis peſſundant. Erepti tibi ſunt, ô Roma, priſci illi omnes, & ſucceſſimus, qui nunc ſumus recentiores: & ſi verè virtutem cognouiſſes illorum, & prauitatem diuinaſſes noſtram: quo die vitam illi finierunt, dirui te; omni mundi lapide in puluerem comminuto oportuiſſet; ita futurum fuiſſet, vt campi illi virtute præſtantium virorum oſſa redolerent, non corporibus, quemadmodum nunc fit, hominum vitioſorum fœterent. Nunc Babylone es antiquior, Helia pulchrior, Carthagine opulentior, Troia firmior, Thebis populoſior, Corintho munitior, Tyro amœnior, Byzantio fertilior, Cameſana altior, Aquileia inexpugnabilior, Gadibus liberior? nùm magis turrita, quam Capua? nùm editiore loco ſita, quam Cantabria? Perierunt iſtæ tam inſignes & nobiles vrbes, tantis florentes virtutibus, à tam præſtantibus defenſæ viris; Et tu ſtabilitatem tibi polliceris tantis obruta vitiis, & tot frequentata vitioſis? Crede mihi Roma mater, quæ nunc tua eſt gloria, prius illarum fuit; quod illis, idem tibi interim affert. Ita enim rerum orbis vertitur, vt quoſcunque de præteritis nunc audiemus labores, de nobis dicturi ſint poſteri.

CAPUT IV.

M. Aurelius Epiſtolam pertexens lamentatur, & exclamationes continuat, quod Romani bellum Aſiæ intulerint, & QVANTA ad ſubditos redundent incommoda, ſi Principes bella cum exteris ſuſcipiant, oſtendit.

O MISERAM Romam? Non ſolebas ita eſſe infelix. Sed quo longius ætate progrederis, eo Te video infeliciorem. Nam & in libris

bris legimus, & nostris ipsis videmus oculis, quod QUANDO circa principia, vel vrbs, vel persona aliqua fuerit felicior, tanto in senectute infestiorem habet fortunam. Sane temporibus priscis, & seculis illis gloriosis, quando à veris scilicet frequentabaris Romanis, non quemadmodum nunc, vbi filios tantum habes spurios: non minus modesti erant, quos emittebas Roma, exercitus, quam Philosophi ex Schola Græcorum. Si Græcorum scripta non mentiuntur, Philippus M. Macedoniæ Rex, ideo tam celebris est in historiis, eiusque filius Alexander M. ideo tam felix in bellis fuit, quod exercitus habebant adeo modestos, vt Senatus potius, qui imperaret, quam acies, quæ pugnaret, videretur. Quantum ex T. Liuio aliisque autoribus possumus colligere, inde à dictatura Quintij Cincinnati vsque ad nobilem illum M. Marcellum, tempora fuerunt, quæ Romanum Imperium vidit, felicissima. Antea quippe à Regibus fatigata, postea à tyrannis vexata vrbs fuit: illis autem temporibus tam prosperis, ex maximis, quas habebat Roma, felicitatibus illud erat, quod disciplina militaris erat seuerissima, & tum Roma cæpit ruere, cum exercitus nostri degenerare cæperunt. Quando enim miles inducias habet cum vitiis, non poterant Ciues pacem habere cum virtutibus. Exsecrabilis sis Asia, detestabilis dies, quo te occupaturi arma cepimus? Quid enim inde consecuti simus, commodi, in præsentem nondum apparuit diem; quod vero abs te nobis euenit mali, nunquam deplorari Romæ desinet. O detestanda Asia! nostras tibi impendimus opes; tu vero tuis nos cumulasti vitiis: pro viris fortibus tuas nobis misisti voluptates; tuas expugnauimus vrbes, tu vero de nostris triumphasti virtutibus, tuas solo æquauimus arces, & tu nostros euertisti mores, de tuis triumphauimus regnis, & tu nostros iugulasti amicos, bellum tibi fecimus cruentum, & tu pacem nobis ademisti optatum: Tu inuita nobis cessisti, nos vero vltro tui sumus; iniusti sumus tuarum Domini diuitiarum, & iusti tuorum serui vitiorum: In summa LUGUBRE Romæ sepulchrum Asia, & (fæda ac) fætens Asiæ sentina Roma es. Cum Patres nostri prisci sola cōtenti fuerint Roma, cur nos ipsorum filij Roma simul & Italia non contenti, in Asiam transiuimus occupandę illius gratia, vbi dignitatem nostram in aleam mittimus, & omnes nostras opes consumimus? Si Romani illi veteres viri scilicet

in viuendo tam (magnanimi &c) heroici, in pugnando tam ſtrenui, in imperando tam prudentes, in poſſidendo tam moderati, anguſtis illis contenti erant finibus; cur nos cum illis nulla ex parte conferendi, regno & opulento & otioſo non contenti ſimus. Haud ſcio quæ nos dementia ceperit, vt Aſiam oppugnatum iremus, & Roma non contenti eſſemus. Neque enim Italia tam inops diuitiarum, infrequens Ciuitatum, Orba ab incolis, vacua gregibus, incluta frugibus, inanis pomorum optimorum erat, vt omnium iſtorum non plus haberemus, quam vel maiores noſtri habuerunt, vel nos ipſorum ſoboles habere meruimus. Ad me quod attinet, Aut à iudicij imbecillitate, aut à ſuperbiæ inſolentia proficiſci dixerim, ſi maioribus noſtris, quos meritis non æquamus, dominatione velimus antecellere. Nihil ego in meis deſidero maioribus; niſi quod plus iuſto ſuperbi, & inquieti fuerunt, qua in re germani illorum filij videmur, dum non ſolum ſuperbi & inquieti: ſed etiam auari & malitioſi ſumus. in ijs, quæ ad virtutes attinet longe à tergo relicti; in actionibus verò illicitis multis illos paraſangis ſuperantes. Vbi ſunt victoriæ maximè, quas in Aſia maiores noſtri obtinuêre? Vbi auri vis infinita, quod ex illa regione rapuerunt? Vbi captiuorum, quos bello ceperunt, multitudo? Vbi beſtiarum, quas in Italiam miſerunt, ferocia? Vbi illæ, quas ſuæ quiſque intulit domui, diuitiæ? Vbi Reges illi Præpotentes, in expeditionibus illis capti? Vbi ſpectacula & triumphi, cum quibus triumphantes Romam inuecti ſunt? Quid hic dicam, mi Corneli, non habeo, niſi omnes belli autores mortuos; quotquot in Aſiam profecti ſunt, mortuos; quicunque terram illam propugnabant, mortuos, qui triumphantes Romam ingreſſi ſunt, mortuos, in ſumma & THESAURI & triumphi, quos ex Aſia maiores noſtri reportarunt, breui temporis ſpatio finem vtrique habuerunt; vitiorum verò & delitiarum nullum videmus finem. VTINAM intelligerent Princeps cordati, quid ſit bellum mouere in regnis exteris! quos ſibi accerſant labores, quas in animis ſuis curas, quas clientibus turbas, quam theſauris ſuis ſtragem, quam amicis pauperiem, quæ inimicis gaudia, quam bonis perniciem, quam improbis licentiam, quantam peregrinis ſermonum materiam præbeant, in ſumma DAMNORUM ſementem in regnis hæreditarijs vniuerſalem faciunt, & virus relinquunt hæredibus propriis peſtilentiſſimum,

tiſſimum, crede mihi, ſi idem, quod ego, Principes ſentirent: Si perindè atque ego, id deguſtaſſent, ſi idem, quod ego, experimentum cepiſſent, tantum abfuturum eſſet, vt regna per vim cum ſanguinis occuparent effuſione, vt ne vltro quidem multis cum lachrymis oblata reciperent. Nam, ſi verum loqui licet, NON eſt principum cordatorum, alieni tantum conſeruandi gratia, de proprio periclitari. Quæro nunc; quid emolumenti Roma ex Aſia ſubacta capit? Fuerit ſane in aggredienda illa audax, in oppugnanda ſtrenua, in ſubiuganda importuna, in capienda felix, an erit in retinenda illa fortunata? Equidem nihil cunctatus affirmo, neque me dicti pœnitet; POSSIBILE eſſe Aſiam capere; ſed de illa retinenda certi quicquam ſibi polliceri ſtultiſſimum. Quid enim? an non ſumma eſt ſtultitia Aſiæ retinendæ perſuaſionem ſibi inducere cum de nulla vnquam victoria nuncius afferatur, quin alterius ſit pugnæ præludium? & ad alendum bellum illud, an non tota expilatur Italia? in Aſia noſtræ abſumuntur pecuniæ, in Aſia noſtri pereunt liberi; in Aſia noſtri occubuêre parentes; propter Aſiam tributa nobis indicuntur; optimos Aſiæ abſumit equos, in Aſiam noſtra aſportatur annona, in Aſia omnes enutriuntur fures, omnes ex Aſia veniunt ſeditioſi: omnes in Aſia pereunt boni; omnia nobis Aſia mitti vitia, cuncti in Aſia abſumuntur theſauri noſtri, cuncti in Aſia oppetunt Romani Excellentes. Hanc cum Aſia mercedem Romæ reddat, cur bellum Roma perſequi vult Aſiaticum? Alij ante nos Principes Aſiam oppugnarunt, occuparunt, poſſederunt; ſed tandem vbi terram eſſe perſpexerunt, vbi nec Deorum motus, nec Principum maieſtas, nec legum iuriſque autoritas quicquam valeret, relinquere illam ſtatuerunt, experientia edocti, ASIÆ populorum nec bellis corpora defatigari, nec beneficiis animos conciliari poſſe. Non fuit Principibus illis Aſiam terrâ conſeruandi animus, & nos mari illi nos ſuccurſuros cenſemus? Deſeruerunt illam, cum eſſent vicini, & nos ex longinquo illam retinere volumus? Mea quidem opinione eiuſmodi terra eſt Aſia, vbi omnes ſuam experti ſunt cordati prudentiam, vbi cuncti ſuæ periculum ſtultitiæ fecerunt ſtulti, vbi omnes ſuam exercuerunt ſuperbi inſolentiam, quam omnes per vim ingreſſi ſunt Principes, cui vitam omnes impenderunt tyranni, ſed ad extremum neque voluntas, neque prudentia neque potentia vlli iſtorum

quicquam

quicquam profuit. Haud ſcio, an quiſquam Aſiæ fauere; bene velle Aſiæ, bene loqui de Aſia poſſit, aut rebus Aſiaticis patrocinari, cum vberrimam illa nobis de die ſermonum, de nocte ſuſpiriorum & lachrymarum in ſingulas horas materiam præbeat. Si arcanum illud penetrare hominibus fas eſſet, vt ſcirent, quibus Aſia ſatis ſit à Diis condita, non tantopere, de ſubigenda illa laboraturi eſſent. Eo namque ſidere à Diis creata eſt, vt publicum eſſet paſcuum, vbi omnes pabulentur, forum publicum, vbi omnes vendant, diuerſorium commune, quo omnes ſeſe recipiant, fritillus communis, vbi laudant omnes, domicilium publicum, vbi omnes habitent, patria denique publica, vbi maneant vniuerſi: vnde fit, vt Aſiæ dominationem plurimi concupiſcant: pauci adipiſcantur. Cum enim ſit Patria communis, ſibi quiſque illam vt propriam vendicare nititur. Omnia fortaſſe Corneli, Aſiæ mala à me expoſita reris, ſed nouam ordior querelarum telam. Nam pro damnorum quæ Roma Aſiæ debet, multitudine, tempus ad ſcribendum prius, quam dicendi me argumentum deficiet: Non abſque lachrymis, quod dicturus ſum, dico, nullum ſcilicet Ducem Romanum decem Aſianorum millia armis, quæ Roma extulit, deleuiſſe, quin centena Romanorum millia vitiis, quæ Romam attulit, perdiderit: Atque ita illi quidem hoſtili manu cum gloria ceciderunt, nos verò à vitiis cum infamia proſtrati ſumus. Quinam quæſo inuenerunt, vt prandeamus in porticibus publicis, vt cœnemus in hortis ſecretis, vt virili in theatris veſte induantur fœminæ, vt faciem perſonâ tegant Iani Sacerdotes, vt oleo viri in balneo tanquam fœminæ vngantur, vt in Curia Senatores vnguenta oleant (exotica,) vt purpura Principes contra legem veſtiantur, antiquam, vt bis in die, quemadmodum Dionyſius Tyrannus, cibum capiamus, vt præter vxorem pellex habeatur, quod Tyrii faciunt, vt blaſphemiæ contra Deos, quales in Imperio nunquam exauditæ ſunt, dicantur? Hæc decem Aſiæ vitia Romæ Aſia muneri miſit. Cum enim partes orientales maximè arderent bello, decem Duces fortiſſimi Romam hæc decem vitia importarunt, quibus parcit calamus, quo minus illorum exprimat nomina, ne rerum geſtarum claritatem turpes obſcurent maculæ. Priuſquam expeditionem Roma ſuſciperet Aſiaticam, diuites pacifici, ſobrij, ſapientes, honeſtique, & quod omnia vincit, ſuo quiſq; contenti eramus:

eramus: Sed hactenus adeo ſolertes in dediſcenda (maiorum) diſciplina & diſcendis Aſiæ delitiis fuimus, vt perinde hodie Romæ percipi vitia quæuis liceat, quemadmodum cunctas audire in Græcia ſcientias. Ex his igitur, quæ diximus, cognoſcent Principes bellatores, quid ex regnorum exteriorum ſubiugatione emolumenti capiant. Sed omiſſis vitijs, quibus in bello cumulamur & virtutibus ac præſtantibus viris, quibus interitū bella adferunt, de pecuniis loquamur, quas tantopere Principes & quærunt & amant. Hic ego affirmo, Nec Regem, nec regnum vllum ad ſummam redigi pauperiem, niſi bellum cum regno extraneo ſuſcipiat internecinum. Non vidiſti mi Corneli, voluntate potius, quam neceſſitate adductos Principes perdere pecunias ſuas, alienas petere, propriis non ſufficientibus, templorum opes capere, æs alienum ingens contrahere, tributa excogitare immania, ſermonum materiam exteris præbere, ſuorum incurrere odia: denique ſuos ſubditos rogare, & inimicis ſupplicare? Expoſitis hactenus belli detrimentis, quæ ſit illius origo indicabo. Fieri enim non poteſt, vt conueniens ægroto medicus adhibeat medicamentum, niſi ex cuius honoris intemperie morbus naſcatur, intelligat. Principes cum & naſcantur ex hominibus, & inter homines educentur, & cum hominibus conſultent, & cum hominibus viuant, homines denique & ipſi ſint: modo ſuperbiæ exſuperantia, modo conſilij defectu, tum ipſi cogitant, tum ex aliis etiam audiunt, licet multum habeant, aliorum tamen reſpectu Principum parum ipſos poſſe. Audiunt item, cum magnæ ſint ipſorum opes longe maiorem eſſe oportere ipſorum famam: Bono Principi, quæ à maioribus hæreditate accepit, parui omnino eſſe faciēda reſpectu illorū, quæ longè ampliora liberis debeat relinquere: Neminem vnquam celebrem ſui reliquiſſe memoriam, niſi bellum mouendo nobile? Quando Imperator eligatur Romanus, poteſtatem ipſi tribui terrarum orbem vniuerſam ſub ditionem ſuam redigendi. Auditis ergo his rationibus friuolis Principes, vt eſt illorum fortuna humilis, & cogitationes ſublimes, illico bellum hoſtibus denunciant, illico theſauros aperiunt, illico ingentes cogunt exercitus. Tandem vero diis permittentibus, dum aliena ſe occupaturos credunt, conſumunt, & perdunt propria. Non video, quis vos decipiat, Principes, quod cum in pace diuites eſſe poſſitis, in bello pau-

peres esse vultis, cum cari esse & debeatis & possitis, vltro odium quæritis, cum vita possitis frui secura, aleam fortunæ ancipitem subitis. Quod propria, quæ multa sunt, parui; aliena, quæ pauca, magni æstimatis: Cum vestri omnes indigeant; ita vos geritis, vt ipsi omnium indigeatis. Sic habeto Corneli, QUANTUMVIS ingenij acumine, & solicitudine cunctos, qui vnquam Romæ fuerunt, Princeps vincat: fieri tamen non posse vt omnia in bello prospere cedant. Nam in ipso rerum gerendarum articulo, aut pecuniis destituitur, aut à clientibus deseritur, aut tempora habet aduersa, aut viis attinetur difficilibus, aut annonæ premitur penuriâ, aut tribunorum experitur seditionem, aut hostibus mittuntur subsidia: vnde infelix adeo perturbatur, vt acerius animus à propriis cogitationibus, quam ab hostibus ditio ipsius oppugnetur. Quod si Princeps non aliam ob causam à bello abhorreret, quam vt à militũ liber esset insolentia, hæc vna causa ad fugiendum bellum satis esse debebat. Quam enim, mi Corneli, vel personæ Regis molestiam, vel regno ipsius cladem afferre hostes possunt, quin vel æqualem, vel maiorem proprij afferant exercitus? HOSTES vt plurimum fines deprædantur, nostri verò exercitus totam deprædantur regionem, HOSTIBUS audemus & possumus resistere, at nostris nec possumus nec audemus vel loqui. HOSTES vt plurimum vno mense semel direptionibus grassantur, & discedunt, nostri vero singulis prædantur diebus, & manent. HOSTES hostium metu tenentur, at nostri nec hostium metu, nec amicorum misericordia mouentur. HOSTES quo longius progrediuntur, eo remissiores & numero pauciores redduntur; at nostri quo longius progrediuntur, eo magis illorũ & crudelitas augetur & numerus, itaq; haud scio, quod grauius esse possit bellum, quam si milites Principes intra regni fines alant. Illi enim quod experientia testatur, & ante Deos maxime culpati, & Principibus importuni, & populis molesti sunt, & vt vno verbo dicam, & omnium malo, nullius bono viuunt. Ita Mars, Corneli mihi sit propitius, & manum in prælijs meam regat! vt plures ad me querelæ in Senatu de Ducum in Illyrico meorum rapinis, quam de omnibus populi Romani hostibus deferantur. Ob hæc igitur, quæ dico, & longe plura, quæ taceo, magis vereor Vexillum instituere centum militum, quam prælio cum triginta millibus decertare asperrimo. Hoc enim

enim horæ vnius ſpatio vel benè vel male fortuna conficit: cum illis ne tota quidem vita tranſigere poſſum, Quod ſi dicas Corneli, cum ego Imperator ſim Romanus, cur iſtis non medear, qui omnia cognita & explorata habeam: Siquidem IN PRINCIPEM, qui diſſimulanter culpam fert alienam, non ſecus ac propria merito illa conferenda eſt: Mearum virium non eſſe reſpondeo, vt malo illi medear, quin ex ipſo remedio malum aliud naſcetur grauius: cumque ipſe nunquam Princeps fueris, ea quæ dico non poteris aſſequi (aut intelligere). MULTA enim principes ſua cognoſcunt prudentia, quibus vt medeantur, potentia deeſt. Ita fuit, eſt & erit, ita inueni, habeo, relinquam, ita in libris legi, oculis vidi, de maioribus meis audiui: ita, vt vno verbo dicam, excogitarunt Patres noſtri, ita conſeruamus nos ipſorum filij, ita hæredibus, ipſorum malo, noſtris relinquemus. Vnum tibi dicam, in quo non multum mihi errare videor, quod ſcilicet ponderato damno plurimo, & nullo emolumento, quod reipublicæ miles affert, arbitror, eum cogere, aut alere, vel ſtultitiam eſſe hominum, vel flagellum Deorum. NIHIL enim iuſtius, quam vt Deorum permiſſu ea domi noſtræ experiamur, quæ facimus, vt domi deplorentur alienæ.

Encomia Pacis.

Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

INterea pax arua colat, pax candida primum
Duxit ad aratrum ſub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit vuæ,
Funderet vt nato, teſta paterna, merum.
Pace bidens, vomerq́; vigent, at triſtitia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
Ruſticus è lucoq́; vehit malè ſobrius ipſo
Vxorem plauſtro, progeniemq́; domum.

Ouid. lib. 2. Faſtorum.

Sub iuga bos veniat, ſub terras ſemen aratas.
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres

Pace in hac vita nihil melius vtiliusue eſt.

Silius Italicus lib. 11. bel. pun.

Pax optima rerum.

Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem:
Et Ciues æquare potens.

Pacis inuocatio ac commendatio lepidissima.

Ouidius lib. 1. Fastor.

Frontibus Attiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi
Tu ducibus bello gloria maior eris.
Pax homines decet, ira verò feras.

Ouid. lib. 3. de arte amandi.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Pacificus quietusque in hac vita esse potest is, qui velocis æui memor est, atque tempora nunquam reditura tenet, id est cogitat.

Seneca in Hercule furente.

Nouit paucos
Secura quies, qui velocis,
Memores æui tempore nunquam
Reditura tenent.

CAPUT V.

Ad Pacem & Concordiam quæ inuitent.

DVces & Imperatores huius seculi à bellis & victoriis suis titulos sibi assumpserunt. Scipio Africanus à bello Africano: Vitellius Germanicus, à Germanico bello ita vocari voluit: Non ita Dux & Imperator noster CHRISTUS, qui à pace potius, quam natus mundo intulit,

tulit, moriturus reliquit, & rediuiuus commendauit, nomen habere voluit. Sic enim *Isaias c. 9.* prædixit, vocandum eum, *Principem pacis*: *Isaiæ. 9. cap.* Illi forte pacem tandem peperêrunt, sed per bella, per cædes, per Vrbium euersiones: & Pacem mundi fallacem: Christus veram & Christianam pacem nobis acquisiuit, nō aliorū internecione, sed sui vnius morte. Vnde ait: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Illi occiderunt, vt fruerentur pace, iste occisus est, vt frueremur nos. Quando igitur Dux noster est *Princeps Pacis*, vtique tales etiam vult habere milites, qui paci & concordiæ studeant. Sic enim de ijs prophetauit idem *Isaias c.11.* Habitabit Lupus cum Agno: & Pardus *Isaias. 11. cap.* cum Hædo accubabit: Vitulus & Leo & Ouis simul morabuntur. Quamobrem Subditi Imperij, vt veri milites Christi sitis, conabor hoc capite, ad pacem vos accendere, vos audite. Ad pacem invitat nos primo: vniuersum quod pulcherrima proportione & pace connexum & firmatum est. Inprimis naturæ auctor Deus, Trinus quidem in personis, Vnus tamen est, non tantum in essentia, sed etiam in voluntatum vnione. Vnde dicitur *Deus Pacis.* Imo *pax* ipsa, ab Apostolo 2. *Cor.*13. *Eph.* 2. Deinde in Cœlo inter Angelos pax summa est, & omnimoda concordia, tametsi specie inter se differant. Et cum Lucifer pacem illam turbare vellet, deiectus est in infernum: adhæc in motu cœlorum Solis, Lunæ ac syderum cursu, quanta pax & confœderatio? Præest ille diei, hæc nocti, neque vera est vulgi fabula. Solem pugnare cum Luna in Eclipsi. Elementa item suis consistunt locis & alterum alteri cedit, imo & in alterius gratiam contra naturam suam mouetur, leuia descendunt, grauia ascendunt, ne relinquatur vacuum, adeoque ne dissoluatur vnio & harmonia corporum in vniuerso. Quatuor item anni tempora placidè miscentur & sensim mutuo sibi cedunt. In homine quamdiu qualitatum est concordia, tamdiu viget sanitas: illa dissoluta, morbus adest; Quin & animalia pacis sunt amantia. Præterquam enim quod *omne animal diligit sibi simile* (*Eccles.*13.) Accipitres in Thracia teste *Æliano lib. 2. cap.* 42. adiuuant homines in aucupio. Aucupes enim retia tendunt, accipitres verò aues in ea compellunt: post vnà prædam partiuntur. Lupi quando iis flumen transeundum est, ne aquarum vi euertantur, caudis se inuicem mordicus tenent, vnde longum ac forte agmen constituunt, quod per-

rumpere cum non valeant fluctus, nullo negotio tutissimè transnatant, *Ælian.l.3.c.6.* Cerui flumen transijcientes, aut fretum, cibi conquirendi gratiâ, conseruant ordinem, vt capitum suorum onera super se inuicem portent, posteriore super accedentis tergum ceruicem collocante. Secundo pacis ipsius pulchritudo, & suauitas, iuxta id *Isai.32.* *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Pax tempori sereno similis est, bellum & discordia tempori tempestuoso, tonitruis & fulminibus ac grandine horrenti: Pax sanitati, bellum ægritudini. Quis autem non malit serenum, quàm nubilum & fulminans cœlum? Sanitatem quam ægritudinem? Antoninus Pius Imperator dicebat: *Malo seruare vnum Ciuem, quam mille hostes occidere*; Iul. Capitolino autore. Fridericus III. Saxoniæ Dux pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit, imo conditas ab aliis solo æquauit: nec pecunias congregabat, sed in vsus pios & vtiles expendebat. Rogatus cur id faceret? Respondit: *Ne ego leuiter offensus aliquando, arcibus & pecuniis meis confisus, nimis facile vicinos me inferiores bello lacessam & pacem cum eis violem. Ioan. Agricola in Prouerb. German.* Hoc est quod Apostolus monet apud *Coloss.3. Pax Christi exultet in cordibus vestris.* Græcè *palmam ferat.* Ita Abraham cedendo fregit iram & contentionem Pastorum Loth: Ita Dauid iram & inuidiam Saulis, fugiendo eique parcendo vicit. Tertio, pacis vtilitas & pernicies discordiæ & belli, *concordia enim res paruæ crescunt, discordiâ dilabuntur*, vt dixit rex Micipsa moriturus, filiis suis. *Salust. in Iugurtha.* Pax ad maturam ætatem homines perducit. Vnde Crœsus à Cyro captus, hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filij sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent filios. *Herodot.* Pax abundantiam parit, quod indicare voluit Vespasianus Imperator nummo, in quo sculptæ erant, plenæ spicæ è duabus manibus simul iunctis egredientes, ad indicandum, pacem & concordiam matrem esse abundantiæ. Patet experientiâ, in pace enim abundantia est, in bello penuria. Pax inuictam reddit Ciuitatem. Audiamus testes. Cum Lacedæmonij periclitarentur, & de ciuitate muro cingenda cogitarent. Isæus Sophista illud Homeri carmen recitauit: *Scutum hæsit scuto, galea galeâ atque viro vir.* Et adiecit. *Sic mihi state Lacedæmonij & muris cincti sumus.* Idem dixit Sapiens: *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi Ciuitas fortis.* Marcus & Marcellianus, Christiani fratres stipitibus

Plin. lib. 8. cap. 32. &c.

infixi Psalmum illum cantabant: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*, cumque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus, & ambos lanceis confodi iussit. Scilurus Rex Scytharum octoginta liberos masculos habens, cum esset moriturus fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admonens his verbis: *Si concordes eritis, validi inuictique manebitis: contra si dissidiis & seditione distrahemini, imbecilles eritis & expugnatu faciles.* Non potuit Scytha magis Scythicè rem ob oculos ponere. Plutarchus *in apophthegmat.* Sanè inter nos Christianos pari cōcordia cuncta cōseruarentur, sed propter discordiā omnia dilabuntur, iuxta id Domini: *Omne regnum in se ipso diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Et ad *Gal. 5. Quod si inuicem mordetis, & comedetis, videte ne ab inuicem consumamini* id ipsum insinuaturus Atheniensibus inter se dissidentibus, Leo Bizantius Sophista, venit Athenas populo concordiam suasurus: cumque prodiisset in suggestum corpore admodum pusillo omnium risus obortus est. Ille fortuitam occasionem, vertens in procemium: *Quid ait, ô viri Athenienses si conspiceretis vxorem meam, quæ tam pusilla est, vt vix pertingat ad genua mea?* Ad hanc vocem cum maior etiam populi risus subortus esset, subiecit: At nos tam pusillos, si quando dissidemus, vix ciuitas Byzantinum capere potest. *Plutarch. in præcept. polit.* Vltimus Iudæ filius fuit Sela, id est, dissoluens, eo nato vxor eius parere vltro cessauit, vt dicitur *Gen.* 38. Ita enim per dissidium omnia perduntur, vt Regnum Romanorum, & Græcorum. Quarto quia pacis sectatores Deus magno fauore prosequitur, discordiarum vero odio habet. *Beati pacifici*, ait Dominus (*Græce, beati pacificantes*) *quoniam filij Dei vocabuntur.* Et *Apost. 2. Cor.* 13. *Pacem habete & Deus pacis erit vobiscum.* Hinc Anselmus dicere solebat eos, qui in hac vita conformant se aliorum voluntati (salua æquitate) & cum eis pacem colunt, id à Deo mereri, vt post hanc vitam se accommodet eorum voluntati, & cum eis quoque pacem colat. Eos vero, qui discordias amant, pari modo post hanc vitam neminem reperire, qui eorum se accommodet voluntati; iuxta censuram illam: *quâ mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Consentit Augustinus *de verbis Domini*, qui dicit, *concorda cum aduersario tuo, nescis quando vita finiatur.*

tur. *Cùm vita finita fuerit, iudex restat & minister & carcer. At si seruaueris aduersario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro iudice inuenies patrem: pro ministro sæuo Angelum tollentem te in sinum Abrahæ: pro carcere paradisum.* Paphnutio Abbati &, Eremitæ reuelatum est, quendam Heracleæ sibi vitæ meritis esse parem. Hunc igitur inquirens, inuenit eum quidem vxoratum, sed post secundam prolẽ, seruare cum coniuge castitatem, iustitiæ & pietati studere: præsertim verò ad hoc incumbere, vt si quos inter se odio distractos cognouisset, reconciliaret. *Pallad. cap. 64.* Vide quo loco sint apud Deum pacifici. Contra, *si filij Dei vocantur, ait S. Greg. 3. p. pastor. adm. 24. qui pacem faciunt: proculdubio Sathanæ sunt filij, qui pacem confundunt.* S. Wolstanus Episcopus Wigorniensis cum in Ecclesiæ cuiusdam Dedicatione, *de pace*, ad populum concionaretur, plures prius dissidentes sunt reconciliati: vnus tamen erat, qui adduci non poterat, vt fratris occisori se reconciliaret. Adducto igitur in medium, Episcopus ait: *Dominus dixit in Euangelio: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Constat ergo quod si pacifici sunt beati & filij Dei, discordantes sunt miseri & filij Diaboli.* Itaque Diabolo eum torquendum tradidit, qui confestim eum obsidere & tamdiu affligere non destitit, quousque pacem hosti daret. *Guil. Malmesbur. de Pontif. Anglorum gestis.* Quinto. Quia non est modo tempus litigandi cum hominibus, sed cum Diabolo. Audi Apostolum *ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. id est, homines, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Maligni enim spiritus & robustiores & astutiores & nocentiores nobisque infensiores sunt, qui si videant litigare nos & mutuas alere simultates, timendum ne idem nobis faciant, quod in apologo muri & Romæ miluus. Vidit is murem, & ranam rixantes, & hastis concurrentes, adeoque contendentes, de Principatu in palude, vidit, inquam, & citò litem diremit, vtrumque enim vnguibus suis rapuit, raptumque deuorauit. Ad eundem modum, dum homines in hac mundi palude, de præcedentia, de lucello, aliisque nugis contendunt, interim dæmon attendit, quomodo dissidentes suis complectatur vnguibus & rapiat in infernum. Vt ergo canes inter se rixantes, cum forte intuentur lupum, pacem mox componunt, & communem hostem iunctis viribus persequuntur. Vti serpenti cum vulpe

vulpe conuenit, teste *Plut. in libro de industria animal.* Quod illis communis hostis sit aquila, ita multo magis oportet nos seruare pacem, quibus luctandum cum dæmonibus communibus & capitulatissimis hostibus. Aristides & Themistocles dum inter hostes versabantur & pro Republica sua Atheniensi, bellum gerebant, priuata odia valere iubebant, & in gratiam rediebant, ne diuisi ab inuicem præda aliorum fierent. *Chavass. l. de prud. cap.* 8. Rudolphus Habspurgensis Comes, qui primus Imperialem dignitatem in Austriacam domum intulit, cum Abbate Sangallensi primo lites gerens, tandem vltro se ad conuiuium eius inuitans, pacem cum eo fecit, & discedens inde, præclarum hoc monitum proinde locutus est: *Cui tres sunt lites, meo iudicio rectè fecerit, si duabus compositis, tertiam tanto diligentius prosequatur. Tymp. in spec. Magistr. p.* 2. *fig.* 43. Itaque si quis litem habeat cum hominibus, cum se ipso, & cum dæmonibus, priores duas componat, & vltimam tanto impensius prosequatur. Hoc est id, quod monuit Dauid *Psalm.* 33. *Inquire pacem & prosequere eam*, & *Apostolus ad Hebr.* 12. *Pacem sequimini*, Græce persequimini cum omnibus. HÆC PAX semel iterum, tertiò nobis inculcatur à Saluatore Nostro, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quia nimirum magna sunt pacis bona. Primo enim pax omnia in suo vigore conseruat, discordia omnia perdit & labefactat. Vnde Empedocles Pythagoreus mundum dicebat constare concordiâ, discordia autem dissipari. Linguarum vnio turrim Babel altissimam exstruxit, diuisio dissipauit. Hinc Pharao, vt Israelitas in seruitute contineret, diuisit à se mutuo, dispergens per Ægyptum, ad colligendas paleas, *Exod.* 5. Diuide ignem, extinguetur: diuide flumen, amittet vim. Euphrates flumen quamdiu vnitum, tamdiu inexpugnabile Babylonis præsidium erat. Nam vt ait *Xenophon l.* 7. *Euphratis latitudo est, plusquam ad duo stadia, & profunditas tanta, vt nec duo viri alter super alterum stantes super aquam emineant.* Vbi tamen Cyrus in plures eum fossas diuisum deriuauit, nullo in negotio & quasi siccis pedibus cum exercitu transiuit & Babylonem occupauit, Balthasarem interfecit, *Dan.* 5. vt scribunt Xenophon. *L.* 7. Herodotus *L.* 1. Secundo pax est omnium rerum tranquillitas & suauissima harmonia, vt ostendit *D. Augustinus L.* 19. *de Ciuit. c.* 13. *Pax corporis*, inquit, *est ordinata temperatura partium, pax animæ rationalis, ordinata re-*

quies appetitionum, pax animæ rationalis ornata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & salus animantis. Pax hominis mortalis & Dei immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia. Pax domus ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax Ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. Pax cœlestis ciuitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & inuicem in Deo. Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Vbi ergo pax est; ibi omnia suauiter degunt, vbi discordia ibi omnia perturbantur. Vnde Dauid. *Ecce quam bonum & quam iucundum, ait, habitare fratres in vnum.* Tertio. Pax est inchoatio vitæ cœlestis, adeoque terrena quædam beatitudo, promouens hominem ad cœlestem, ideo forte Dominus in Euangelio duplicauit nomen pacis, vt pacem tam huius, quam alterius sæculi nobis daret, primam huius vitæ: *Pacem relinquo vobis,* alteram cœlestis patriæ, quam notanter, vocat pacem suam, quia perfecta est. *Pacem meam do vobis.* Denique est quidam Typus SS. Trinitatis, in qua sunt tres personæ: vna tamen Deitas, vna Voluntas, vnus Amor, vnus omnium consensus. Hinc igitur gratissima est Deo pax, ita vt *Deus pacis,* vocetur ab Apostolo 2. *Corinth.* 13. Et si *D. Cypriano* credimus, propterea Deus ad munera Abelis respexit, ad Cain eiusque munera non respexit, quia ille pacem, hic discordiam cum fratre habuit, vt refertur *dist.* 90. *c. Nec ad Cain.* Et si *D. Gregorio* fidem damus, propterea Deus in mundum venit, vt doceret pacem, vt refertur 23. *q.* 1. *cap. Nisi bella.* Idcirco nato Christo pax mundo denunciatur: discedens ad mortem, pacem suis relinquit: resuscitatus à morte pacem eis rursum precatur.

CAPUT VI.

Vnanimitatis cum Deo, & Imperatore, Aureus Fructus est, Alter,

COR, *in omnibus aduersitatibus, infractum.*

Horat. lib. 3. Carmin. Ode. 3.

VEre cecinit Venusinus vates.

Iustum & tenacem propositi virum,

Non

Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ------
Si fractus illabatur Orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Homò verè Christianus mauult cum legitimo Magistratu diuinitus constituto corruere, quam Deo resistere, & os ei obuertere, sperans, quod Deus facturus sit res difficiles, & penè desperatas, esse faciles, suæ magnitudine virtutis. *L. 1. §. 1. C. De veter. iur. enucleand.* quo præsente impeditum fit expeditum. Cœlum & terra peribunt, sed stabit immota hæc in æternum Apostolica sententia: *Nulla est potestas, nisi à Deo, ac quæ sunt potestates, eæ à Deo sunt institutæ. Itaque qui potestati repugnat, Dei institutioni resistit, quique restiterint, pœnas dabunt.* Neque enim id viderunt ipsi huius Mundi sapientes. Quid enim est aliud, ait *Cicero in Lælio*, cum Diis Gigantum more rebellare, nisi naturæ repugnare. Cum vrbe à Senonibus captâ, domicilium gentium, arx nationum, Lumen Imperij animam ageret, Vejos ituriebat Gens Romula. Et migrassent, nisi FURII CAMILLI oratione retracti. NE IOVIS PULVINARIA, ANCILIA, ÆTERNOS VESTÆ IGNES, GRADIVUM PATREM, TERMINUM, IUVENTAM, ANTIQVIORA VRBIS ORIGINE SACRA, ET CUM IIS LIBERTATEM DESERTUM IRENT. Extat Oratio ardoris, & Spirituum plenissima, in *Liuio* * Nobiliora Imperij Sacri Romano-Germanici Nostri sunt, κειμήλια. Et insignia: Inter quæ Globus præfulget aureus, velut tessera, arguens Principem Nostrum Mundi Dominum olim fuisse, hodiè ipso iure esse, ritu ab æuo Augusti retento, cuius statua Romæ cum POMO visitur, cui Christiani salutare signum Crucis imposuerunt, quod Iustiniano acceptum fertur, à Procopio. 11. Aquila biceps, de qua dicunt Recessus Imperij. (Vnser vnnd deß Reichs Adler / mit zweyen Köpffen) & sit nostrum votum.

Roman. 13. vers. 1.

** 5. Vrb. condit.*

Lips. lib. 3. De Cruce.

De Anno 1555. §. Wie aber vorgestelte Sorgen / &c.

Picta biceps Aquila, hinc occasum, hinc aspicit ortum,
Altera ait, Nostri est Cæsaris, altera erit.

Tertiò inter illa æstimantur, Gladius Caroli Magni, 4. Lancea, quæ Saluatoris Nostri aperuit latus: 5. Dextera portio S. Crucis, 6. Clauus vnus, qui Christi perforauit artus. 7. Tunica Christi inconsutulis.

Auentin. Annal. Bojor. *lib.5 pag. 353.* 8. Et Mappa, quâ vltima Domini Mensa strata fuit. Sanè, si nihili fecerunt Romani, militem, qui non habuisset fortia latera, & torosos lacertos ad quæuis gestanda onera, insuper arma tersa, & nitentia, & maximam in Imperatorem suum Fiduciam, Næ, Chalybs esset, aut, si quid durius, cuius pectus non indoleat, si viderit fidem vnicè saluificam, Ecclesiam sanguine, D. Nostri Iesu Christi, redemptam, Nationemque Nostram Germanicam, periclitari, quæ audiuit, in Recessibus Imperij, daß sie ein Firmament sey der Christenheit / præterea irrecuperabiles illas Imperij Clinodias, in Gallorum, aut Suecorum, aliorumque extraneorum manus peruenire, *Nec enim domum vendere licet, in quâ defecit pater, minor creuit, in quâ Maiorum imagines, aut non videre fixas, aut reuulsas videre, satis est lugubre,* *Quid*

L.22.C.De Adminstr. Tut. ci ca med.

Virgil. Bucolicor. Eclog. 1.

Impius hæc tàm culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia ciues
Perduxit miseros, en queis conseuimus agros.

Anno Christiano, Millesimo nonagesimo quinto, cum Vrbanus II. Pontifex Maximus in Galliis, in Concilio Claromontano, publicè de Palæstina recuperanda perorasset, omnium animis ad Sacrum hoc bellum inflammatis, acclamatum est ab omnibus. DEUS VULT, DEUS VULT. Hæ voces deinde ab vniuerso exercitu illo, plusquàm trecentis millibus hominum, pro militari tessera sunt vsurpatæ. Maximè verò cum conflictum iam spectarent, & acies vtrinque concurrerent. Christianus miles generosè succlamauit. Deus Vult, Deus Vult.

Sanguine fundata est Ecclesia *sanguine cœpit.*
Sanguine succreuit, sanguine finis erit.

Fortissimus Heros Iudas Machabæus, militibus in hostem inflammandis: Accingimini, inquit, & estote filii potentes, vt pugnetis aduersus Nationes, sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Hoc agamus viri, & ad nutus diuinos stemus paratissimi, seu nos vinci, cadere, mori, seu vincere Nos velit Deus, & triumphare: sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Sic Ioab pugnam initurus periculosiorem, ad Abisai fratrem: *Esto vir fortis, inquit, & pugnemus pro populo Nostro, & Ciuitate Dei Nostri: Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.* GEDEONIS Milites in Madianitas pugnaturi, læuâ lagenam, in quâ lumen, dexterâ buccinas tenebant. Ac vbi res congressum, ac prælium specta-

1. Machab. cap. 3. vers. 58. & 60.

2. Reg. cap. 10. v. 12.

ſpectabat, buccinis clangebant, & lagenas frangebant, atque vnâ clamabant, DOMINO, & GEDEONI. Nos itidem cum Lagænam frangimus, id eſt vitam & ſanguinem Noſtrum, pro vera, & ſaluificâ fide, & Imperatore Noſtro, ex debito offerimus: cum buccinis clangimus, & Chriſti Religionem in templis extollimus, Lux effulget: præclarè hæc omnia, modo nemo clamet: *Mihi, &* GEDEONI, Non ità, ſed DOMINO, ET GEDEONI. Non nobis enim *D*omine, non Nobis, ſed Nomini Tuo da gloriam, Domino ET GEDEONI, CHRISTO, & IMPERATORI FERDINANDO. Sacræ literæ teſtantur, Elephantes ad prœlium acui, cum oſtenditur eis ſanguis Vuæ, aut Mori; facilè ergo Mihi perſuadeo, Fideles, de Deo & Imperatore Noſtro rectâ fide ſentientes ſubditos, Viſis Romani Imperii tot calamitatibus, tantoque innocentum ſanguine à furente hæreſi fuſo, nouos concepturos ſpiritus, ad fortiter agendum, & pro Eccleſia Dei, pro Patria eiuſque Capite, pro ſuis ſtrenuè dimicandum, imitatione Solduriorum Gallicorum, qui Dominis ſuis in acie occumbentibus commoriebantur, συναποθνεσκωντες, inde dicti.

Iudic. cap. 7. v. 10.

Connan. cap. 6. ex Comment. Cæſ.

Socrati olim cum multa multi, pro ſuis quiſque facultatibus offerrent: Æſchines pauper Auditor, Nihil, inquit, dignum Te, quod dare Tibi poſſum, inuenio: Et hoc vno modo Pauperem me eſſe ſentio, Itaque dono Tibi, quod vnum habeo, ME IPSUM. Hoc munus rogo, qualecunque eſt, boni conſulas, cogiteſque alios cum multum Tibi darent, plus ſibi retinuiſſe. Cui Socrates: Quid ni Tu, inquit mihi magnum munus dederis, niſi fortè parui te æſtimas? Habebo itaque curæ, vt Te meliorem tibi reddam, quam accepi. Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem diuitiis animum, & omnem iuuenum opulentorum munificentiam.

Senec. lib. 1 De benefic.

------ Sic acceptiſſima ſemper
Muneræ ſunt dantis, qui pretioſa facit.

CAPUT VII.

Vnio voluntatis Parentium, cum Imperante, Moralis Metempſychoſis, Tranſanimatio, ſeu Tranſſubſtantiatio eſt.

ALchimiſtæ, pulueris cuiuſdam, quem fermentum appellant Philoſophicum, iniectione, ferrum in cuprum, cuprum in argen-

tum, argentum in Aurum; adeoque semper deterius in melius & Nobilius metallum transmutare norunt. Ὁμοψυχία seu vnio voluntatis Parentium, cum Imperante, moralis quasi quædam Metempsychosis est, vsque adeò quod ex Recticorde Subdito propemodum fiat Imperator, & hoc pacto in Seruitute sit Dominatus. Gloriabatur olim Themisthoclis filius, omnem Atheniensium Rempublicam à se gubernari, hoc enim omnes ciues velle, quod ipse velit. Mirantibus audacissimum iuuenis dictum, subiecit, Quod ego volo, illud & Mater mea vult (filium enim illa tenerrimè amabat) quod autem Mater mea vult, hoc idem vult & Pater meus, Themistocles, quicquid verò placuerit Patri meo, id continuò placere Athenis iam compertum est. Hinc inquit, Atheniensis Respublica ad meum Imperium componitur: Ità prorsus & meliori iure rectissimæ voluntatis homo dixerit; Quod ego volo, hoc vult Sacratissimus Imperator Noster, Amicis enim idem Velle, & nolle est, vtpote declarauit Marcus Aurelius Imperator, ad Mercurium Samnitem Mercatorem, per Epistolam, his verbis. Diu iam est, *quod inter nos amamus, & à multis iam annis inter nos nouimus, & quo die tua meæ se fidei credidit amicitia, exemplo mea se tibi deuinxit fides, vt & mala tua mea forent, & bona mea forent tua. Siquidem ea demum, secundum diuinum Platonem, VERA est amicitia, vbi corpora quidem diuersa, voluntas vnica est. Admodum mihi SVSPECTA videtur amicitia, vbi & animi inter se dissident, & voluntates discordant. MVLTOS enim Romæ inuenias, qui verbotenus tantum aliorum amici sunt: cumque inter ipsorum & amicorum ædes diem vix intersint domus, animis vltra decies mille parasangas distant. Quod fœdus Capuæ, cum tu Roma discederes, & è Samnio ego redirem, fecerimus, nosti; à quo tantum abest, vt recedam, vt ego alter tu hîc sim, modo tu alter ego istic sis; vt & absens ego tibi semper præsens sim, & te absentem tanquã præsentẽ habeã.* Et paulò post clarius, in alia Epistola, ad Pyramonem amicũ singularẽ, vehementer afflictũ, hoc tenore. *Vt igitur ad rem accedam quanta propinquitate, quam vetusta amicitia, quam firmo amore coniuncti simus, quam tenerè inter nos amauerimus, quanta cæperimus vtrinque veræ amicitiæ experimenta, nosti. Meministi enim procul dubio, cum Rhodi ageremus, nos & contubernales & conuictores fuisse. Si quid animo concepisses, me opere factisque confecisse, si quid ego dixissem, te nunquam aduersatum esse. Quippe meo tu cordi, tuis ego præcordiis infixus eram, ego alter tu, tu alter ego eras,*

Anton. Gueuar. in horolog. Princip. lib. 3. cap. 32. n. 576.

Idem Anton. Gueuar. in Horolog. Princip. lib. 3. cap. 34. n. 582.

Tolle inuidiam

eras, atque ita duo cum videremur, vna tantum amborum voluntas erat. Quid hoc rei est, Pyramon, quod tanto mœrore affectum te scribis, neque cur tristis sis, exprimis? Mortem imminere tibi inquis, & quis tibi vitam adimat, taces? si portionem mihi impertire miseriarum pro amicitia recusas; eam me scito iure repetiturum. Sic tibi velim persuadeas, à dijs immortalibus esse constitutum, vt omnes voluptates & commoditates à mea arceant domo, calamitates verò & ægritudines omnes in me incumbant, posteaquam is sum, quem omnes molestiis onerant. Tu quamuis cupias, Imperium meum effugere non potes. Nam si felicitate infelicem te quereris, ego infortuniis fortunatum me esse glorior. Dicas mihi quæso, an vnquam, cum esuriisti, saturum me conspexisti? dormientem, cum tu vigilares, requiescentem cum tu laborares? profectò licet corpora, & fortunæ singulorum fuerint propria, ærumnæ tamen atque infortunia semper communia fuerunt. Vnum facias necesse est, si modo in amicitiâ meâ perseuerare cupis, vt bona mea pro tuis, & mala tua pro meis habeas, cum ad delicias natus sis, ego laboris gratia viuam. Hæc à me non simulatè dici, ipse testis es. Nam in obitu Ianuariæ sororis tuæ præstantißimæ iuxtà ac pulcherrimæ, animaduertere potuisti, dum ipsa exanimis terræ mandabatur, me ad huc viuentem sepeliri: cum ad lachrymarum mearum somnum tui, (vt sic loquar) saltarent oculi. Cum igitur nullam de me dubitandi causam habeas, dolorem tuum mihi tuto potes aperire. Quoties te interrogaui, nunquam tibi rationes confictæ defuerunt. Quare te etiam atque etiam rogo atque obsecro, per Deos te precor & obtestor, vt ærumnarum tuarum pixidem in meo deponas sinu; quacunque enim perrexeris, ne latum quidem vnguem abs te recedam. Si profectus fueris, proficiscar, si consisteris, consistam, si laboraueris, laborabo, si quieueris, quiescā, si mortem optas, me vitam minime optare prope nosti. Dilige Pyramon, quod placet, & distribue, vt libet. Nam tuæ meæq; calamitates cor vnicum duntaxat torquent, si enim dolere vis, alienæ à me deliciæ omnes erunt. Si plorare, nunquam me risurum iuro: Si molem luctus deponere cupis, ego illam totam, non secus ac meam, humeris subibo: si tibi solitudo placet, valeant hominum cœtus? Si cœtus hominum probantur, valeat solitudo. Quid ergo me velle vis? Equidem quicquid volueris, vltrò appetam. Et vt olim Alexander Rex, de sibi Charissimo Ephestione dixit; Non errasti, nam & hic Alexander est: Ità de subdito, qui Imperiali voluntati deuotissimus est, dici potest, Nam & hic Imperator est, certè per intimam voluntatis vnionem, quod declaratur facetâ historia Richardi cuiusdam Regis Britanniæ, qui cum esset in venatione

[Margin: meum tuum, & tuum meū est. *Saresb.* 7.14. *ex D. Augustino.*]

[Margin: Si moreris antecedo, si viuis, sequor. *Senec. Thebard.* 1.]

[Margin: *Q. Curt. lib.* 3. *cap.* 24.]

cum familiâ, ac Proceribus suis ab iisdem ceruum insequendo separatus est, In dumosâ itaque & amplâ syluâ diu multumque oberrans, tandem conspecto igne in casâ cuiusdam fabri, eò se recepit, ibique per illam noctem hospitari coactus fuit. Cumque Faber Regi aquam adferret, vt manus lauaret, initiò lauare recusauit, donec Faber iratus eidem impactâ alapâ (ignorabat quippe Regem esse) imperauit dicens. *An nescis Tu, quod quilibet Rex est in domo suâ?* quippe quæ cuique tutissimum refugium, atque receptaculum, & quilibet, dicitur, Dominus, moderator, & arbiter rerum suarum. Imò vnusquisque Principum Imperator, in territorio suo, Hinc Carolus V. sæpius professus est, se aliis in Regnis, mancipiis & seruis, at in Germania liberis, & Regibus imperare; Quod idem asseruisse scribitur Maximilianum I. dicendo, Regem Hispaniæ esse Regem hominum, Regem Galliæ Asinorum; Britannum esse Regem Diabolorum: Se verò solum Regem Regum. Et hoc est, quod insinuat, Fridericus II. Imperator, in diplomate, per quod Ducatum Austriæ in Regiam effert dignitatem, his verbis: *De fulgore throni Cæsarei, velut ex Sole radii, sic cæteræ prodeunt dignitates, vt primæ lucis integritas, innominati luminis non sentiat detrimenta, tantoque magis Imperiale Sceptrum extollitur, tantò cura regiminis à sollicitudinibus releuatur, quanto Tribunal ipsius digniores in circuitu circumspicit consimiles Regiones.* Hæc ratio, quare Imperator Alexander, Domitium Vlpianum Præfectum Prætorio, appellauerit PATREM suum, Egregium, Græcè κράτιστον, optimum, præstantissimum, disertissimum, Amicum suum, summi ingenii virum, Tutorem, consiliarium, &c.

Henning. Gœden. Consil. 1. n. 8. L. 18. ff. De in ius voc. L. 21. C. Mandati. Kirchner. de Republ. disput. 12. Coroll. 8. p. 186. Notent Phrasin, affectantes hoc iugum. Achilles Dux VVurtenbergic. in Consultat. de Prouinc. Europ. Princip. p. 211. L. 4. C. Locati. L. 2. §. 5. & ibi. Gothofr. ff. Qui pet. tut. L. fin. C. De Instit.

Obsigno proinde hunc Librum, III. hac Coronide,

Sol, quoq; Sal, Soliumq;, Solumq;, Salumq; refrenant,
Orbita, Germani, quod regit, Imperij.
Cum IOVE, *diuisum Imperium, tenet, Induperator*
Subditus IMPERIUM, *si velit, intus habet.*

ANAGRAM-

ANAGRAMMATA.

l.4.C.De contrah.& cõmit. ſtip. L.vnic.§. 9.C.de Caduc.tollẽd. L.11.C.de Quæſtionibus.

AUSTRIACUS.

1.	*CASA, VIRTVS,*	6.	*Ac ſi Taurus,*
2.	*ASSVR VICTA,*	7.	*Acuis Artus,*
3.	*TAVRI CASVS,*	8.	*Cauis Satur,*
4.	*Sirus Vacat,*	9.	*SAT, ac, Riuus,*
5.	*Is Rus cauat,*	10.	*VASTI Carus.**

*id eſt, *Solomon, humanæ Sapientiæ pelagus, & magnum portentum. Matris, ait, Seneca.*

PARASCEVE AD LIB. IV.
Ex Hiſtoria ALEXANDRI.

QVo minus Rex Alexander conualeſceret, ingens ſeſe impedimentum obiecit, nec vnum duntaxat: Literæ fidiſſimi Parmenionis ſuſpicionem veneni pluribus indiciis ingerebant, & amicorum ſedula quidem, ſed vitioſa ſollicitudo plurimum turbabat.

LIBER QVARTUS.
VELLE IMPERATORIS CONTRARIA PELLERE.
CAPUT I.
CONTRARIA VELLE IMPERATORIS PELLERE.
ADVLTERIVM, ſcilicet, Morale in hoc Myſtico Connubio.

S. Angelus Gabriel aut Raphaël, & Aſmodæus, non benè conueniunt in vno Cubiculo, multò minus in vno pectore, Ita enim ait, Imperator Leo, *Quomodo enim vera ſponſalia ſunt, in quibus nihil verum, nihil genuinum conſpicitur, vbi meretricium ſe offert ſcelus, vbi cauſæ ſunt diſſidiorum,*

Conſtit. 93. circa med.

rum, & odij, vbi animorum alienatio? (quæ mala aceruatim omnia pariter, cum peregrino, alienoque semine suscipiuntur) quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus Sponsalisque est Amor? Quia, vt quispiam alterius fœtum sibi subiiciat, id verò ratio non patitur, Neque item Iustum est, vt qui ipse honestæ casti matrimonij oblectationis sponsam in domicilium suum recipere constituerit, si illa matrimonij Legibus insultet, & cum aliis lasciuiendo oblectationis spem euanidam ipsi reddat, in meretricia illa facilitate ipsam vxorem agnoscere debeat. Sanè Adulterii hoc scelus, si quod aliud, grauem, horrendamque pœnam exigit, & (vt puto) homicidii pœnâ non minorem. Homicida enim persæpè vnius tantum sanguinariâ manu, vitam euertit: scelestus verò Adulterij perpetrator, quam plurimos ferè de medio tollit, maritum, liberos, cognatos, aliosque, dum vno vulnere dilacerato matrimonio omnes prosternit. Talis erat Troianus adulter Paris, iuuenis lasciuus, qui in Menelai mensâ, Helenam coniugem non suam continuò aspexit, sed oculis non castis, sed in dedecus suum, suorumque æternum, nam raptum, nequitiam, adulterium cogitauit, & perfecit, ac per hoc Troiam decennali bello implicuit. quod Carolus IV. Imperator ostendit, in procemio Aureæ Bullæ, his verbis.

Leo, Imper. Constit. 32. in princip.

Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur: Nam Principes eius facti sunt socij furum, ob quod Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, vt palpent in meridie, sicut in tenebris, & candelabra eorum mouit de loco suo, vt cæci sint, & duces cæcorum: & qui ambulant in tenebris, offendunt, & cæci mente scelera perpetrant, quæ in diuisionem contingunt. Dic superbia, quomodo in Lucifero regnasses, si diuisionem auxiliatricem non habuisses? Dic Sathana inuide, quomodo Adamum de Paradiso eiecisses, nisi eum ab obedientia diuisisses? Dic Luxuria, quomodo Troiam destruxisses, nisi Helenam à viro suo diuisisses? Dic Ira, quomodo Romanam Rempublicam destruxisses, nisi in diuisione Pompeium & Iulium sæuientibus gladiis, ad intestina prælia concitasses? Tu quidem Inuidia, Christianum Imperium, à Deo, ad instar Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, fide, spe & charitate, virtutibus Theologicis, roboratum, cuius fundamentum super Christianissimo Regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, quod velut serpens, in palmites Imperiales, & membra eius propinquiora, impio scelere vomuisti, vt concussis columnis, totum ædificium ruinæ subijceres, tentasti. Diuisionem inter septem candelabra, lucentia in vnitate Spiritus septiformis, quibus sacrum illuminari debet Imperium, multoties posuisti.

1. *Spiritus Vertiginis turbans Pacem, est Hæresis, & inter illius Species, 1. Magia.*

Ordior arma, quibus, cœli super aurea templa,
Molitur solium supremo aquilone locare
Praua Dei Soboles; patrio considere regno,
Qua vetita: atq; imis Erebi detrusa sub antris,
Gliscit atrox odiis animisq; furentibus iras
Nutrit, nec damnis hominum exsaturata quiescit.

PRorsus ita est, nullæ sunt induciæ, pax nulla: vbi nec odij, nec inuidiæ modus aut finis vllus, hostium Dei *superbia ascendit semper*, augetur malitia, crudelitas inualescit, amat sibi tribula metere, dum nobis spinas serat: gaudet suas agere pœnas, & supplicia propria exacerbare, dummodo in cruciatus æterni partem, quam plurimos homines adsciscat, & diuinæ huic illudens imagini, pretioso Christi sanguine dealbatum decoloret, assertamq; in libertatem pristinæ mancipet seruituti, & Cadmæa plane victoria perdat pereundo, perque latus hostile in suamet ferrum viscera conuertat. Nihil finit inausum, nihil intentatum relinquit. Videt animum imbecillem pauidumque, circuit vt Leo, ac vim intentat, nouit imperterritum, extemplo vulpem induit, & exuuias ponit Leoninas, Heu! quam multi partes Vulpium sunt & fuere? quot luctator dolosus pelliciis & technis irretitos, supplantauit? Mille nocendi artes habet, innumeris vtitur telis, præcipuum omni ætate de eadem pharetra fuit illicium, quam curiosarum, tam superstitiosarum artium, quam multa, tam stulta dæmonum cõmenta mortalium animos dementantia, quæ cuncta *Magiæ* nomen ambitu suo comprehendit. Detestandæ autem sunt hæ artes, quia sunt impiæ, & fidei Christianæ contrariæ. Primo quia earum sectatores maximam Deo iniuriam inferunt, dum cum eius hoste, diabolo conspirant, quem in auxilium suum vocant. Dicit autem, *Lex liberi 28. C. de in offic. testamento: Inimicus meus is etiam est, qui conuersatur cum inimicis meis* Quantum quæso, iniuriam Christiano inferret nomini, Princeps aliquis Christianus, qui contra alios Christianos pugnaturus suppe-

Psalm. 73. in fin.

tias à Turca Christiani nominis hoste peteret? grauius Deum offendit, qui relicto eo, opem à dæmone eiusque cultoribus petit. *Si tu famulum tuum*, ait S. Chrysostomus *contra Iudæos. orat. 5. flagris cæcideris, & ille 30. aut 50. plagis acceptis, illicò prouocet ad libertatem, aut deserat suum Dominum, & ad alios quospiam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet; dic mihi num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tandem? quoniam officium est heri punire talem famulum, &c.* Subdit simili modo: Non profugiendum in morbis, & afflictionibus ad artes magicas earumque sectatores, sed potius ad sanctos. Ideo 2. *Par.* 16. Arguitur Rex Asa, quod Syriæ Regis, hostis Iudæorum, opem implorauit, contra Baasa & punitur. Dixit enim illi Hanani Propheta: *Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ & non in Domino Deo tuo: idcirco euasit Syriæ regis exercitus de manu tua*, id est, fecit, vt elaberetur è manu tua, quem alioquin etiam deleuisses, similiter quod in ægritudine sua potius confisus sit in opere medicorum, quam in Domino, ideoque mortuus est, *ibid.* Quantò magis peccant, qui in ope dæmonum confidunt. Deinde eo ipso videntur Deum facere impotentem aut immisericordem & Tyrannum: dum non ab eo, sed à creatura & ipso Dei hoste diabolo medelam quærunt, quasi Deus noster non posset, aut non vellet ipsos iuuare. Hoc exprobrat Deus regi Ochoziæ per Eliam. 4. *Reg.* 1. Cum enim is cecidisset per cancellos cænaculi & ægrotaret, misit ad Beelzebub Deum Accaron, ad consulendum super infirmitate sua. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam, *Surge & ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non est* Deus *in Israel? vt eatis ad consulendum Beelzebub.* Deum *Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendendisti, non ascendes, sed morte morieris.* Qui & mortuus est, iuxta sermonem Domini. Et ita fit multoties iusto Dei iudicio vt pereant, qui relicto Deo ad præstigias currunt. Quemadmodum Valentis Imperator filiolus ob parentis peccatum in S. Basilium commissum, graui infirmitate tactus, cum ad eum vocatus esset Basilius, conualescere cœpit: vocatis verò deinde hæreticis (quibus fauebat Imperator) paulo post mortuus est, *vt est in eius vita*: Ita sæpissimè euenit illis, qui magis in ope dæmonis aliarumque creaturarum perperam confidunt, quam in Deo. Denique cultum Deo debitum auferunt, & dæmoni ac creaturis impen-

impendunt, dum effectus illis adſcribunt, qui vires earum ſuperant, vel variis ritibus ac quandoque rebus etiam ſacris dæmones venerantur, quo eorum operam emereentur, inſuper etiam cum ipſo ſe confœderant, pacto expreſſo vel tacito, & proprias animas ei deuouent: ſiquidem media illa, quibus vtuntur ad finem expeditum, non poſſunt eſſe cauſæ effectuum, ſed ſigna tantum ſunt, quibus ex pactō euocatur dæmon ad præſtandum id, quod ab ipſis præſtari nequit. Quomodo ex inſidiis latro aliquis per ſibilum euocatur, à ſocio ad viatorem occidendum. Nam vel cum dæmone pactum expreſſum ineunt per ſe, vel per alium cum illo paciſcendo, vt hoc vel illud præſtet, tali vel tali conditione, & ſic grauiſſimè peccant, committunt actum idololatricum, quandoque apoſtaſiam aut hæreſin: vel implicitum, cum nimirum ſcientes ac volentes vtuntur ſuperſtitioſis ſignis, quæ norunt vim talem ex natura ſua non habere, hoc vel illud efficiendi, vel ignorantes vtuntur magicis iſtiuſmodi ſignis; Ignorantia tamen culpabili, nec parati ſunt ea relinquere moniti: Et hoc modo grauiter etiam peccatur, ſicut qui ex rapto viuit, licet non rapuerit, SECUNDO, Quia hæ artes ſunt deceptoriæ, inanes & vaniſſimæ, vti & pacta cum dæmone inita, nam hominem quidem dæmoni obligant, & morti æternæ addicunt, non tamen viciſſim dæmonem homini: nihil enim iuris acquirit homo in dęmonem ex tali pacto: nihil item in ſigna, quibus ex condicto vtendum. Vnde perinde eſt tale pactum, ac ſi quis Vxorem ſibi deſponderet ea lege, vt ipſa fidem ſeruare marito debeat, ipſe vero Vxori nequaquam. Promittit quidem ſpiritus mendax mutuam fidem & operam, ſed ad hanc ſeruandam nequaquam obligari poteſt ac vult, neque ſeruat etiam, ſaltem ordinariè & conſtanter, qui irreconciliabili odio homines proſequitur, & ipſi Chriſto mentiri auſus eſt: *Hæc omnia tibi dabo.* Et Domino teſte, *mendax eſt, & pater mendacij.* *Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?* *Ioan. 8. De eodem ait* Ex (animo videlicet & fide bona) *nunquid feriet tecum pactum & accipies eum quaſi ſeruum ſempiternum? nunquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis cum ancillis tuis, &c.* *Iob. c. 40.* Scilicet parebit homini, qui maluit carere beatitudine æterna, quam parere Deo & Verbum hominem factum adorare. In primis ſæpiſſimè falſa pro veris exhibet, vti nummos adulterinos & fictitios pro veris. Hinc enim videmus hoc hominum magicorum

genus nunquam ditari, ſed eo nihil egenius, & abiectius eſſe, & ſi prius diuites erant, depauperari, nimirum ita prouidit diuina bonitas, vt ne homines, qui alioqui lucri cupidi ſunt, his artibus ſe addicerent, & fidem illis adhiberent. Sic Magiſter ſententiarum *lib.* 2. *d.* 21. aſſerit dæmoni in alia forma non permiſſum à Deo apparere & loqui Euæ, quam ſerpentis, vt ſic eius fraus & malitia non nimis occulta eſſet, ſed facilè patêret, & ab Eua deprehendi poſſet. Vndè prorſus ſtolidi & abiecti ſunt cenſendi, qui à deliris eiuſmodi aniculis & rudiſſimis ſtolonibus conſilia petunt, & opem à viliſſimis & egeniſſimis. Quod ſi nummos inuidet ſuis ſeruis, & pro nummis teſtas, carbones, fimum & ſimilia porrigit: quomodo ſanitatem & meliora bona dabit? Sic fictitias epulas, fimum pro pane, mures pro auibus &c. ſuis exhibet. Deinde mendaciis vt plurimum decipiunt, vti primos noſtros parentes: Eritis ſicut Dij, & per hæc ſæpè innocentes in crimen vocant. Atque vt mendaciis fallant, nonnunquam vera falſis admiſcent.

Quare autem Magia dicatur Hæreſis? Maldonatus, recenſet cauſas, quinque.

M. Delrio in diſquiſit. Mag. in Proloq.

1. QVia Dæmones in hæreticis, vt olim, in Idolis, habent domicilium. Rectè enim ſolet Hieronymus dicere, Diabolum cum Idola, in quibus habitabat ante, diſiecta vidiſſet, peiora idola in hæreticorum animis, ex ipſis diuinis literis fabricaſſe. 2. Cauſa eſt, quod omnis hæreſis initio violenta eſt prorſus, & vehemens, ſed ſtare in eodem gradu non poteſt, quia præterquam, quod id Diuina Prouidentia non patitur, natura quoque ipſa ità ſe hâbet, vt non poſſit error diu veritatem imitari. Quare omnem hæreſim neceſſe eſt, niſi ad eam religionem, vnde egreſſa eſt, maturè reuertatur, aut in Magicas artes, aut in extremam Atheiſmi impietatem degenerare.

Tertia cauſa, quod ità videatur natura eſſe comparatum, vt quemadmodum famem peſtilentia ſequitur, ita hæreſim varia curioſarum artium genera ſequantur, Nam & hæreſis fames eſt quædam verbi Dei. Etenim, vt in Annonæ caritate homines coguntur cibis vti non ſalutaribus, vnde fit, vt corruptis humoribus gignatur Peſtis:

Amos. 8. *cap.*

Ità

Ità hæresi vigente, dum homines corruptis scripturæ sensibus vtuntur, ad Magicas tandem artes deueniunt, quæ quasi animi morbi sunt.

Quarta causa, quod soleant dæmones hæreticis vti ad fallendos homines, quasi formosis meretricibus, Nam hæresin in scriptura Meretricem appellari notum est. *Quomodo facta est Meretrix ciuitas fidelis?* Quare quemadmodum Lenones, quando Scorti forma defloruit, ex scorto lenam faciunt; Ità Dæmones, cum prima hæresis species ità periit, vt minus homines in errorem pelliciantur: ex hæreticis Magos faciunt. *Isaiæ. 1. capite.*

Quinta causa, vt opinor, est, Negligentia eorum, qui regunt Ecclesiam, Nam quemadmodum in incultis agris, locustæ gigni solent; Ità ex inopia verbi Dei, gignuntur præstigiosæ artes. Nam & Locustæ, in Scripturâ Dæmones significant. Itaque videtur etiam in hoc tempus conuenire, quod ait, Propheta, *Residuum erucæ, comedit Locusta, Et residuum, quod comedit Locusta, comedit bruchus.* Nam quod hæretici reliquum fecerant, malefici Dæmonum arte populantur, & quod malefici relinquunt, athei perdunt. *Apocalyps. 9.* *Ioel. cap. 1.*

Secundus Spiritus Vertiginis, ex Magia fluens, est, Proditio.

MAlefici enim sunt Proditores Patriæ, faciunt enim tractatus, vt experientia constat, quomodo vineas destruant, fructus perdant, annonæ caritatem introducant. Hinc Sacra Scriptura ait. *Quod Diabolus miserit in Cor, vt traderet eum IVDAS.* * Et tantum est hoc scelus, vt propterea in ipsum, triginta maledictiones congestæ sunt, tot nimirum, quot argenteis Christum venditurus erat; Et inter alias, illâ, quâ nomen eius, in Orbe Christiano delendum prædicitur: *In generatione vnâ deleatur nomen eius.* Quod profecto factum est; vix enim reperire est, aliquem inter Christianos, qui hoc nomine, quod aliquando ob Iudam Patriarcham, & Iudam Macchabæum magno in honore fuit, appellatur, non alia de causa, nisi ob detestationem proditoris; Fuit etiam aliis populis, ità exosum Proditionis crimen; vt nomina Proditorum eraderent. Hinc, vt Author est Plutarchus, Pellenæi, Lei

Binsfeld. De Confess. Maleficorum, in. 2. membr. quæst. propos. in. difficultat. 1. Conclus. rat. 8. p. 236. 265. & 287. **Iohan. 13.* *Psal. 108.*

In Theseo. Lei Proditoris nomen: Romani antiqui Patritiorum quorundam malè de Republicâ meritorum prænomina vetabant aliis indi, in odium Proditionis, Hinc etiam illud venit, quod Euangelistæ, quoties eum nominant, toties proditoris nomen affigunt, vt ouem scabiosam hâc infami notâ à cæteris discipulis segregent.

Tales sunt falsi Amici, seu potius, Familiares inimici, qui ad speciem quidem amicitiam præ se ferunt, & osculum blandissimorum infigunt verborum, in corde tamen venenum ad perdendum gerunt, scilicet, *loquuntur Pacem cum Proximo suo, mala autem in cordibus eorum*, *Psalm. 27.* Iudas appropinquauit Christo, osculum infixit, & blanda verba dedit; Interim hostibus eum prodidit, corpore apud Christum, animo apud Iudæos. Sicut Ioab cum seorsim duxit Abner, *2. Reg. 3.* vt loqueretur ei in dolo, & interim percussit eum in inguine, Sic etiam illi in familiaritatem aliorum se insinuant, amicitiæ signa exhibent, moresque eorum imitantur, vocant eos Dominos suos gratiosos, loquuntur eis dulcia, & placentia, interim vel substantiam eorum deuorant, vel famam eorum denigrant, vel arcana eorum produnt, vel denique in laqueos peccatorum, ac postremum Dæmonis inducunt, vnde vulgò dicimus; **Das seynd die rechte Katzen / die vornen lecken / vnd hinden kratzen / Mit dem Mundt sagen sie / Gott grüsse dich / mit dem Hertzen aber / der Teuffel hole dich** / id est, Mel in Ore, verba lactis; Fel in Corde, Fraus in actis. His non absimiles sunt Parasiti, qui dum moribus aliorum se accommodant, substantiam eorum *Nicephor. lib. 8. cap. 14.* deuorant, & quæ apud eos audiunt, & vident, passim euulgant, Hos Imperator Constantinus vocabat, *Tineas* & Sorices Palatij; Sicut Muscæ ad mel; Ità isti ad delicias Aulæ aduolãt, interim omnia inquinant.

Tertio, Laudenses, & Placentini; Non Veronenses, scilicet Assentatores, vnde Sigismundus Imperator, quendam, qui eum similem *Æneas. Sylu. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi.* Diis dixerat, alapa cæcidit, dicentique illi; *Cur me cædis Imperator?* respondit. *Cur me mordes adulator? Meliora enim sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Illa enim tendunt ad correctionem, hæc ad deceptionem & perniciem.

* * *

CAPUT

CAPUT II.

SPIRITVS VERTIGINIS.

Hæresis, &c.

DE Sanctis illis infantibus à crudelissimo Herode per immane facinus trucidatis, *Macrobio auctore* didicimus, eiulatus & vagitus tam miserè pereuntium, non in Ramâ solum (quod SS. testantur litteræ) sed in Româ quoque auditos esse, Quod idem hodie de afflictissimâ nostrâ Germaniâ dici posse arbitror: tantos eam per hæc tempora, quibus à truculento hoste quassata & collisa est, passim vndique ploratus edidisse, vt non in Ramâ solum, excelsa inquam Dei & Beatorum Ciuitate, verum & in Româ, seu toto Imperio Romano, Europâ, & Mundi ambitu fuerit audita. Parum dixi cum Innocentum lachrymis Patriæ nostræ fletus: parum cum Herodi, infaustum & iam dudum orbi inuisum Gotho-Wandali nomen comparaui. Quam enim strages ab hoc edita, & illata nobis clades stragem illam paruulorum superet, atque excedat, tot demonstrant argumenta, quot hodie ante oculos nostros, non dicam, infantium aut virorum, sed vicorum, oppidorum ac penè totarum vrbium proiecta iacent cadauera. Caussam porro huius tragœdiæ si quæramus, non aliam inueniemus, nisi penè eandem illam, quæ Herodem Idumæum armauit infantes: ambitionem videlicet & odium in Christi incunabila.

Cùm enim ante paucos annos reflorescere cœpisset, in quibusdam Imperij populis pestiferâ olim Hæreticorum lue correptis pristina & auita maiorum nostrorum Religio, ac iam in multorum animis natus esse Christus videretur, eoque res spectaret, vt breui opera & zelo inuictissimi Imperatoris FERDINANDI II. gloriosissimæ recordationis, diuisa Rom. Imperij membra sub eâdem vera fide rursum compaginaret, tum ecce vidit hoc è latebris suis prædo Aquilonaris Pseudo-Rex ab Arcto, duplex sibi spolium, ex vnius Germaniæ oppressione promittens, coronam scilicet, Imperialem & perfidiæ suæ propaginem. *Armatur itaque geminâ face* (quod

itidem de Tyranno quodam *scribit S. Leo PP.) homo* coronæ *cupidus*, *&* *veritatis inimicus*: ambitione, *vt rapiat*. sceptrum: *impietate*, *vt auferat Christum*. Eximitur machæra, hauritur sanguis Catholicus, ferro, flammaque vastantur monasteria, expilantur templa, occupantur vrbes, defossi passim thesauri sacri & profani exhumantur, aurum insuper ingens extorquetur, captiui & obsides abducuntur, primarij omnes fuga disperguntur, reliqui terrore concutiuntur, omnia confusione implentur. Et quid tandem his furiis & furiarum fecibus à stygia illa Erynnide, obtentum? Num extinctus Christus? num eliminata Romana religio? num intercepti Orthodoxi Præsules? Minimè gentium. Secessit paulisper Dominus, secessere in tuta Antistites & furori locum dedere. Prædo vero postquam apud suos quidem gloriam sibi accrescere tantum non diuinam vidit, & iam ex inuerso vocabulo *Deus* quidam audijt: postquam ingentes opes è spoliis corrasit, vbi iam lauro insignis passim fingi ac pingi cæpit: Tum ecce Regulus iste, dum cæco quodam furore, in nostrorum acies irruit, quasi vno sibilo aut solo sui conspectu exanimaturus omnes, repente ferrearum potius imbre glandium, Deo vtique iacula dirigente, coronatur & purpuratur suo ipsius sanguine, & si vera sunt, quæ ad nos perlata, decem ictibus, quasi alter Pharao totidem plagis tactus, & confractus deijcitur, & qui paulò antè cœlum digito attingebat, ad terram alliditur: denique suo in cruore mersam infelicem animam expuit. Hæc periodus, hæc coronis tot laborum pro stabilienda hæresi & parando gloriæ fumo contra Deum susceptorum. Eat iam non suis, sed aliarum pedibus fictitium hoc Numen cum eâ, quam oppidatim corrogauit, militari stipe, ad tutelares Diuos, vt gelido præsit mari & cum Tantalo inter aquas sitiat, egeat inter opes. Perijt ergo Herodes, postquam in Imperio non multis vltra annum diebus dominatus est; periit, inquam, hyperboreus Leo, *in vulneribus suis captus est*, *& missus est in caueam vt non audiatur vox vltra*. Verè enim Thales Milesius dixit, senem se tyrannum difficile vidisse. Verè Ælianus: *Pulcherrimè à Dijs immortalibus comparatum, vt nullam Tyrannidem vsque ad tertiam generationem propaget: sed aut confestim Tyrannos tanquam proceras piceas perdant, & extirpent, aut liberos eorum viribus denudent ac spolient.* Id quod non modo Leo ille; sed & alij quidam Leunculi, qui cum illo prædas agebant, circa

MORS GUSTAVI ADOLPHI.

circa idem tempus, ante, & post, experti sunt, suoque demonstrant interitu, Deum quidem impiorum conatibus aliquandiu conniuere: ad extremum tamen ponere circulum in naribus eorum, & reducere in terram suam: denique habere vicissim curam Ecclesiæ suæ Catholicæ. Et sensimus quidem nuper hanc Dei auxiliarem manum, cum summa papauerum capita vidimus decussa, Æolumque in primis Borealem suopte vento sublatum: sed cum istis tamen nondum hæresis sublata, nondum triumphata est. *Mortui* quidem sunt *qui quærebant animam pueri* Iesu: Sed viuit adhuc Archelaus, mali corui malum ouum: viuunt adhuc Leunculi, qui Leonis vestigia premunt. Præcisum hydræ caput: sed viuunt adhuc membra: timendumque ne pro vno exciso capite plura alia succrescant. Nondum alas demittit hæresis, erigere primum videtur, dum non modo se suaque pertinaciter defendit, verum & in nostram segetem iniquissimè grassatur, Sanè, Quod olim experta est Hierosolyma, Metropolis Hebræorum, cum à Babyloniis vastata, rursumque ab Hebræis reparata est, hoc verè experimur hoc seculo in Germania. Ibi, vt sacra Regum narrat Historia, Nabuzardan Princeps Militiæ, seu (vt Septuaginta Interpretes vertunt) Ἀρχιμάγειρος, Princeps coquorum, vel Lanionum Regis Nabuchodonosoris inter alias clades ciuitati sanctæ illatas, destruxit eius mœnia, & succendit domum Domini, Iudæos verò captiuos abduxit in Babylonem, demptis solum Agricolis, & vinitoribus, quos excolendæ terræ reliquit: Hæresiarchæ superioris, & Nostri seculi, Tartareæ militiæ Magni Duces, fidei Nostræ dogmata ausu temerario partim conuulserunt, partim eliminauerunt, sacros quoque Canones publico & infami loco in cineres redegerunt, nec non Ecclesiæ præcepta, & cum his bonos mores omnemque adeò pietatem sustulerunt: disiectisque his quasi mœnibus in hæreseω̃s ergastulum, plerasque Germaniæ prouincias abstulerunt (duas tamen nouimus ab illorum tyrannide prorsus fuisse immunes, Boiariam & Tirolim, hanc vini, illam frumenti feracem, proinde hanc quasi vinitorum, illam Agricolarum terram) Verus Nabuzardan, seu, quod sonat Propheta extranei Iudicii: Verus ArchiMagirus, Princeps Epicureorum, pinguis Aqualiculus, culinæ, & Abdomini natus, sed & Princeps Lanionum, quippe omnium Bellorum, quæ ab infelici eius ortu vsque in hanc diem con-

4. Regum. vltimo.

cussere, & laniauere Patriam Nostram, Auctor, & incentor. Ibi Nehemias Princeps post exactum Captiuitatis tempus, facta sibi ab Artaxerxe potestate, mœnibus vrbem clausit, suoque nitori restituere strenuè adlaborauit, magna quidem difficultate, sed nec minore Fortitudine, nec minus felici progressu: Hic FERDINANDUS IMPERATOR Gloriosissimus, Victoriosissimus, vt auitam Germaniæ religionem, fidem & concordiam postliminiò reuocaret, ab ipso Imperii sui exordio totis viribus incubuit. Ibi Primarij duo Samaritæ Sanaballat Honorites, & Tobias Ammanites obstitère Nehemiæ muros extruenti: hic totidem Gigantes, siue Dii Protestantium, obstitère FERDINANDO, piisque eius conatibus. Ibi Rex Regum Deus dissipauit hostium Consilium, indeque Nehemias in cœpto progressus opere, erexit tandem mœnia, in Germania, vt benè speramus, subuertet etiam Deus, & in nihilum rediget machinas, & molitiones hostiũ Ecclesiæ. Summatim videtur Germaniæ Nostræ contigisse, quod olim tempore Habacuc contigit Iudæis, qui cum adeò deprauati essent, vt nullus penè inter ipsos iuri & rationi locus esset, decreuit Deus immittere eis gentem Chaldæorum velocissimam, quæ veluti piscator eos caperet, ac puniret. Quid aliud euenit Patriæ Nostræ, quando ad exortum Lutheri Pietatem & Iustitiam, susque deque habuit? Tunc enim immisit in eam Deus gentem Velocem, & Piscatores improbos, Lutherum, Caluinum, & similes, qui breui sanè tempore totam penè Germaniam cum vicinis terris hamo suo leuarunt, & in rete suum traxerunt, De quo & mirum in modum exultarunt olim, & exultant hodiè, eiusque Sectatores, iactantes pro miraculo, quod tam breui tempore maxima pars Germaniæ ab ipsis inescata, & capta sit. Miserunt sanè hamum in Imperium, & Rempublicam Romanam, indeque expiscati sunt. Primò Pacem & Prosperitatem, Lutherus suis scriptis & concionibus seditiones excitauit, & Populum in Principes armauit; Euangelizans eis omnimodam libertatem, & exemptionem, ab omnibus Legibus, & Magistratibus. In Colloquio Wormatiense, præsente Imperatore in hæc verba erupit. *Non veni Pacem mittere, sed gladium:* Longè alio sensu, quàm hoc Christus dixerit; hic enim suos non accinxit gladio, vt eo Ecclesiam propagarent, sed Patientiâ, vt Tyrannorum gladios fortiter exciperent. Deinde notissimam

Nehem. 1. cap.

tissimam illam Rusticorum Seditionem in Principes accendit: Videns verò incendium illud latissimè grassari, & Principes viribus auctos Rusticis prævalituros, veritus, ne in Caput suum belli euentus recideret, stilum vertit, & ad eos trucidandos hortatus est Principes. Nimirum rumores tantum, & Bellum optabat, Victoriam neutri parti; quo suum interim venenum commodius propagaret: Vnde libello in Rusticos, ait. *Vtrumque sanè timui, si prævalerent Rustici, Diabolus foret Abbas: Si verò prævalerent eiusmodi Tyranni, Mater eius foret Abbatissa.* Vetuit idem Turcis resistere, satius, inquiens, Turcis subesse, quam Catholicis, quod illi Religionem cuiq; liberam facerent; hi nequaquam. Vnde Solymannus non parum se debere Luthero sæpè agnouit. Quid turbarum in Gallia Caluini doctrinâ concitârit, nemo est, qui nesciat. Anno siquidem, 1562. initium sæuiendi in Aquitania cœpit, latè vagatus furor. Parisiis in obuios quosque gladiis sæuitum. Sacerdotes passim ad ipsas aras mactabantur, templa sanguine fluebant, Statuæ Sanctorum confractæ, Ossa Francisci, II. Regis exusta: Imò, & S. Hilarij, Irenæi, & Martini Sanctissimorum Præsulum ossa tumulis eruta, & flammis data viderunt Lugdunenses, & Turonenses. Aurelia, cum Ducatu suo, quid non pertulit? non ætati, non sexui parcitum, senes cum ludibrio & tormentis euecti, tenera ætas cum turribus, quas præsidio quærebant, incensa, ad martyrum ossa prodenda homines tormentis adacti, mutatæ in bombardas campanæ, baptisteria in cloacas versa, putei de Catholicis repleti, ventres excisi, Quâ tragœdiâ peractâ, cum Hugenottæ tandem à Catholicis repressi, & dignis pœnis mulctati essent, inde Martyres apud suos audire cœperunt, crudelissimi Nebulones.

BELLUM RUSTICORUM, vulgò, Bawren-Krieg.

Secundò libertatem animorum, ac Religionis; quam tamen ipsi maximè asserere conati sunt, in Gallia, Belgio, Angliâ, &c. Eiusque gratiâ, contra Orthodoxos arma sumpserunt, titulum belli præferentes, LIBERTATEM conscientiæ, At vbi rerum potiti sunt, eandem, pro quâ tot annis pugnarunt, tantumque sanguinis fuderunt, euerterunt, quin & seipsos eâ priuarunt, Nec enim permittunt sibi vel aliis libertatem Religionis & Fidei, sed omnes cogunt esse Protestantes, vel Caluinistas, Hæccine est libertas quæsita & iurata?

P. Adamus Conzen lib. 9. Politic. cap. 21.

Prima Origo Belli Romano-Germanici, ante ſeculum.

Hæreſis.

ANno ſalutis humanæ octingenteſimo primo Leonis III. Pontificis Romani auctoritate Imperium à Græcis translatum fuiſſe ad Romanos ex hiſtoriis compertum eſt, ab eo tempore omnia eius membra, ſeu Eccleſiaſtica, ſeu ſecularia, ſub vno Capite Imperatore Romano, vnius eiuſdemque vniuerſitatis, ſeu corporis conſonantia, omnia conſilia, pro quibuſcunque Imperij neceſſitatibus celebrarunt; Et quicquid decernendum arbitrati quaſi vno ore, etiamſi diuerſis nonnullorum ſuffragijs, coeunte tamen ſub concluſionem ſententia, conſtituerunt, donec tandem ſub annum ſupra ſeſquimilleſimum viceſimum primum, ſecta diſſecta, ad inſtar Vulpium Samſoniarum, meſſem Domini incenderit, & ſeceſſionis materiam viſa eſt ſubminiſtraſſe. Quo primùm hinc inde priuatim, tandem Schmâlcaldiæ Saxoniæ Vrbe, publicè cònuenientes, collegij ſibi ius vendicare, particulares leges rogare, eaſque ferro demum ſtabilire. Nominatim verò Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſub confeſſionis Auguſtanæ titulo introducere: poſtremo tandem, cum omnibus, quæ à maiore & ſaniore Imperij procerum cætu conſtituebantur, contentiosè contradicerent, proteſtantium nomine ſe ipſos indigitare, taliq; elogio ab aliis nominari voluerunt. Quorum quidem conſilia in eorumque priuatis conuentibus rogatæ, non ſolum leges, vt nouiter conceptam religionem conſeruarent, ſed etiam vt veterem extinguerent, vt plurimum dirigebantur: quoniam verò eorum Catholicam religionem ſectantium longè antiquior erat in Imperio & authoritas, & nominis religioniſque poſſeſſio, & ipſi in vnum coiuerunt, & quo pacto religionem non ſolum ab atauis vſque, ſed quindecim diuerſorum ſæculorum memoriâ in ſe deriuatam, ſartam tectam conſeruarent, diſquiſiuerunt, ex eo tempore factum, vt quod antea vniuerſitatis erat conſilium, in duo Senatus Imperij Collegia, Catholicorum & Auguſtanæ Confeſſionis aſſeclarum diuiſum: armis res geſta, & tota Germania bellis infecta fuerit. Cum tandem vtrinque pacis moni-

tores

tores non deessent, effectum, vt Passauij primum Anno Domini 1552. Deinde Augustæ solennis Amnistia omnium & singulorum Imperij, Capitis & membrorum consonantia concepta & confirmata fuerit, quam hodierno die pro Regula in dissidiis Religionis componendis atque decidendis, seruare posteri tenentur, nisi antecessores & parentes erroris damnare, se ipsos sine fide, sine lege, sine honore, sine virtute, (prout Casimirum Palatinum in Henricum III. dixisse author est Guilielmus Rossæus de iusta Reipublicæ Christianæ in Reges impios & hæreticos authoritate, *cap. 6. n. 4.*) esse, demonstrare velint. Erat igitur tunc bipartitum Imperium, quod olim vnicum, donec hostis ille, qui vnitatis & consonantiæ natus potius, quam iuratus, Tertiam Secessionem paulatim meditatus, hac ratione, vt quanto plures constitueret partes sibi inuicem contrarias, tanto maius etiam sibi ostium, latioremque aditum pararet in Rempublicam inuolandi Christianam, & quam cœperat, dissensionem stabiliendi. Quod propositum, vt secretius aggrederetur, & certius proueheret, hanc occasionem haud incommodam arripuit, quando Dei omnipotentis Decreto, Otto Henricus, Comes Palatinus Elector, fatis vitam concessit, & Fridericus II. Caluinianorum Patronus successit, tum quemadmodum in publicis Imperij conuentibus definita omnium statuum nomine, Electoris & Germaniæ Archi-Cancellarij Moguntini, stylo, verbis, & scriptis eduntur: Ita, quæ separatim Augustanæ confessionis professorum nomine producebantur, iam tum à Religionis dissidio in Electorali Palatinâ Cancellaria concipiebantur, & reliquis Neo Confessionistis reuidenda tradebantur, vel solum approbanda prælegebantur. Hæc callida Caluinicolarum intentio primum tecta, donec Anno 1594. antiqua Saxonum prosapia Illustrissimus, pacis & tranquillitatis Princeps Studiosissimus, Fridericus Guilielmus, Electoralium pupillorum Tutor, & Electoratus ipsius Administrator dexterrimus, fucum diuinitus suboleuit, & sua Subscriptione fœtum in Caluiniana Cancellaria exclusum dedignatus fuit. Hinc demum initium sumpsit tertia à communi Imperij Statuum collegio secreta Caluinianorum secessio, variis primum priuatis conuentibus tentata, tandem Halæ Sueuorum in vnam certamque consonantiam reducta, sub Titulo Correspondendo-Protestantium, siue Protestando-Corresponrespon-

respondentium, & Vnitorum Euangelicorum, vires suas extulit, easque in Conuentibus Imperij generalibus *Anno* 1607. & 1613. celebratis; prout etiam in nonnullis particularibus: apud Imperatores itidem, Rudolph. II. Matthiam I. & Augustissimum Ferdinandum II. piè defunctum, ità efferatè prouexit, vt singuli actus publici, quantumuis omni exceptione maiores, modo Caluinianorum palato non sapiant in eorundem Examen, ita venerint, vt & optima quæque, illorum litura hactenus deleuerit. Vnde patet, quod contumaciæ Rudimentum sit HÆRESIS, & quod nunquam bona fide mansuescat, sed refractarium, ac pertinax malum sit, quod facilius excluditur, quàm expellitur.

Primæ ac veræ Tumultuum, Belgicorum causæ.

RARò quæ turbant incitantque plebem eadem nobilitati negotium facessunt, sæpè tamen (quasi eadem mala vtramque partem permanant) conspirat cum plebe Nobilitas, non partis subleuandæ, aut in commune consulendi gratia, sed vt priuatum incommodum arceat aliena ope, remque suam tacitè curet, dum curare publicam vulgò existimatur. Et populus quidem, vt tumultuaretur, haud dubiè principium duxit ab hæresi. Inuexerant illam partim externi mercatores, quorum cum mercibus hæc quoque pestis interdum nauigat: partim Legiones Heluetiorum Germanorumque, quorum opera superioribus in bellis vsi perdiu fuerant Carolus Cæsar, & Philippus Rex: partim exules ac profugi ex Anglia, quos Maria Regina, dum expurgaret ab hæresi regnum, edictis ac pœnis insectata, non pauciores triginta hominum millibus, ex iis, qui aliundè transmiserant in eam Insulam, semel eiecit: quorum permulti nouas sedes atque Colonias in Belgio posuere. Inductam verò his præcipuè, quos dixi, modis, hæresim alebant augebantque, qui Belgas intercipiebant, finitimi populi, commercioque vt linguæ, sic & morum penè confundebant: nec plus aquarum è Germania Rhenus, Mosa è Gallia vehebant in Belgium, quam indè Lutheranæ hinc Caluinianæ contagionis in easdem

Apud Populum quidem, Hæresis.

Belgarum

Belgarum prouincias ijdem amnes importabant. Vt nihil de Anabaptis adiungam, qui è Westphalia, Frisiaque frequentiores aderant: quippè vicinius fouebantur, habebanturque, vt domi propemodum nati. Ergo affecta ex hisce capitibus Belgicæ multitudinis pars, atque ad defensandam eam vitæ Licentiã confidentior erga Dominos effecta, quum primnm occasionem est nacta, nouis animum rebus intendere, atque eas miscere turbas paulatim cœpit, quas ab hæresi per populos ac regna perpetuo creari, nimium quantum experti iam sumus. Etenim RELIGIONEM raro solam mutauere ciuitates: sed quoties mota est hæc sacra Anchora, toties fluctuauit simul Reipnbl. nauis. Nec mirum: EST HÆRESIS contumaciæ rudimentum: dumque ex hominum mentibus sensim excutit Dei iugum, detrectare atque excutere humana imperia similiter docet. An obscurum est, huc demum desinere nostrum hoc seculo sapientiam hæreticorum, vt ijs, quæ in Catholica religione paulo grauiora videntur, abscissis: ac prætextu in Deum fiduciæ, timoreque eius extenuato atque expuncto, omni Religione mortales, Dei iam securos expediant; atque ad extremum nullum esse vspiam Numen asseuerent? Quod qui sibi persuaderi semel est passus, expulitque ab animo eum, quem natura Dominum imposuit; is reliqua imperia ac Dominos non minus aspernabitur, quam ij, qui vbi defecerint à Rege, minores Magistratus facile contemnunt. Atque ego quidem inter res humanas admirabile semper duxi, in ciuitatum regnorumque administratione, tam multa hominum millia vni subesse, vnum timere. Id in parentium consensu situm est: consensum reuerentia in primis ac metus firmant. Præsertim quia singulorum interest, si vniuersi regantur. Hæc autem Imperij firmamenta hæresis apertè conuellit: Cuius buccinatores specie Christianæ libertatis, in mores vitamque Principum, non surdis vulgi auribus, assidue atque acerbè declamant. Quorum præceptionibus, & tanquam sacris imbuti animi multitudinis, haud mirum, si tantum & Principi detrahant de auctoritate imperandi & sibi addant de immunitate parendi. Insitum est à natura hominibus, auersari Dominos, atque ægrè imperia pati: quid facient impulsi quotidianis declamationum flabris, ac tuti fidentesque Religionis obiectu? Satis exemplo sunt, eruntque posteris Transalpinæ regiones, quas pauco-

rum hominum turbulentis concionibus, excîtas toties armauit hæresis in Dominos, inexpiabili populorum ac Prouinciarum clade. Vt sanè constet, quod dicebam, Non posse absque ingenti rerum publicarum motu cultum Religionis antiquari. Et quanquam in Belgium non ita irrepserat ad eam diem hæresis, nec ita multos numerabat, vt ab ea factione magnopere timendum tum quidem esset, incorruptis popularium plerisque: quum tamen hi augeri Episcoporum numerum, publicari Cæsaris edicta, imponi Fidei Quæsitores animaduerterent, canentibus palam hæreticis, hæc omnia conspirare in perniciem libertatis; facilè coniunxere cum illis studia. Etenim Belgæ magnis acceptam priuilegiis libertatem & seruauere semper & ob fœminarum Principum regimina per quadraginta postremos annos cõtinuata, securius vsurpauere. Accesserunt vltima diuturnaque bella: quo tempore multum licentiæ afferunt arma, ac diuisum propè imperium armata cum multitudine Princeps habet, Quare Belgarum populus longa libertate, atque armis ferox, hæreticis immistus, iisque impulsoribus contumax, haud mirum si solito infensior, vbi se dedit occasio, non modo non exaudire imperia, quæque noua videbantur onera non pati, sed etiam erectis animis, maiora sperare magnis exemplis occœperit. Quippe erat in oculis Gallia, in qua tantum licentiæ, post Ambosianum tumultum, armis extorserant hæretici, vt regno formidabiles, rogandi essent, vt quiescerent. Verum hęc, vt dixi, populi concitatrix hæresis nunquã eos, quos in Belgio vidimus processus habuisset absque cura & ope Nobilitatis. Hac nimirum vlmo si hæresis caret, serpet illa quidem, sed humi, ac pede conculcanda. Et erant eo tunc loco pleriq; Nobilium eo in Hispanos animo commoti, indignatique, vt spei plurimum collocare in ea abalienatione populus haud temerè posset. Indignationis porrò causa partim à frustratione ingẽtis spei, partim ab æmulatione aulica fuit, quę pręsente Philippo Rege exercere opertis odiis cœpit, posteà coram Austriacâ Gubernatrice per apertas inimicitias vsque ad publicam perniciem perducta est. Sed vt semel omnia sub aspectum ponam, Plurimum refert, succedantne, an concurrant infortunia. Vtque ex aliquarum coitione cætuque stellarum gigni noxios afflatus perhibent; ita inter mortales, atque in excidio regnorum obuenire certum est. Immissa impetu hæresis,

Quibus occasionibus vsa sit, HÆRESIS, ad turbas concitandas in Belgio.

Summa Causarũ, occasionumque Tumultuum Belgicorum.

hæresis, offensi Hispanis militibus populi, aucti per Prouincias Episcopi, reperita Cæsaris edicta, ac sumpta de violatoribus supplicia, iniectus ex Hispanicâ Fidei censura terror, frustratæ Nobiliũ spes, prælatus in aula Granuellanus, quia vna fuere, tumultus illos ac turbas facile concitarunt: sed non eodem modo. Pleraque horum prætenta sunt, quia honestiora videbantur, quum tamen duæ rem causæ confecerint, Hæresis, & Ambitio: sed aliis nominibus inuolutæ, occasionemque ac principium aliunde mutuatæ. Nam hæretici, conciliato sibi populo, priuilegia obtendebant libertatemque Belgarum: aduersus ea ne quid à Margaritâ Gubernatrice decerneretur, ad opem Nobilium confugiebant. Et audiebantur auide ab iis, quorum alios egestas, alios repulsæ, plerosque Granuellani potentia stimulabat, eoque opus habebant iis turbis, in quibus simul pecunia reficerentur ab hæreticis, simul à Gubernatrice adhiberentur operi: &, quod inde fieri oportebat, Granuellani potestas paulatim concideret, quippe negotiis exuta. Hinc aucta plebis contumacia ex societate partium, imperia Dominorum contemptui haberi, quin & seditiosis passim cætibus terreri vrbes, deinde populationibus templa multis in locis violari, postremò defectionem meditantium populorum videri alicubi iam initia cœpta sunt.

Famianus Strada, De Bello Belgico. Decad. 1. p. 101.

CAPUT III.

Alius Spiritus Vertiginis INOBEDIENTIA.

QVi statum priorum annorũ, ab 1618. ad præsentẽ annum in memoriam reuocat, perpenditque horribiles Romani Imperii turbas, & grauissimam tot prouinciarum rebellionem, in eam fortè sententiam benignè descendet, vt persuaderi se patiatur, multos rebellium honestissimo fine delusos fuisse. Quantus tunc clamor ad arma vocantium, seque mutuis adhortationibus animantium! sed quo fine, qua intentione? Quantos audisses dicere: *Vt verbum Dei crescat, vt Euangelium propagetur.* Multi, non dubitem, sanctissimis sese vocibus fefel-

lerunt, quibus hoc vnum in ore: *Deo pugnamus, & Euangelio.* Sed, ô boni, siquidem Deo pugnatis & Euangelio, cur in legitimum magistratum insurgitis? Cur indicta causa, in hos & illos tam sæuè animaduertitis? Hoc contra Dei verbum est, hoc vetat Euangelium. Verbum Dei non gaudet seditionibus, non tumultibus, non rebellionibus. Neque mali quid patrandum, vt inde aliquid boni eueniat. Ergo speciosissimos titulos omittite, bona, vt putatis, intentione opus pessimum nunquam satis velabitis. Malè iunguntur finis bonus, & medium malum, vpupa & columba, ingratum Deo sacrificium, mala vi auferre vni, quod des alteri, vetitum est. Operi malo bona intentio veram honestatem nunquam induet. Quatuor potissimum rationes, quamobrem inobedientiam & rebellionem contra superiores cauere debeamus, adducit Apostolus *ad Rom.* 13 *PRIMA.* Quia redundat in ipsum Deum; de qua ait: *Qui resistit potestati; Dei ordinationi resistit.* Quia videlicet superiores Dei quasi Vicarii constituti sunt. Similiter & Dominus *Luc.* 10. *Qui vos spernit, me spernit,* inquit. Ita olim Deus ad Samuelem dixit de Hebræorum populo, qui repudiato Samuele æquissimo iudice, postularat sibi regem iuxta morem gentium: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos,* 1. *Reg.* 8. Sed quomodo abijciunt Deum immorigeri? id optimè explicat ipse *Samuel.* 1. *Reg.* 15. dicens: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Qua ratione, inquies? quia sicut ariolus neglecto vero Deo, consulit falsos Deos, adeoque Diabolum ipsum: ita refractarij neglecto superiorum suorum (qui Deum verum repræsentant) mandato & consilio, proprium sensum, vel ipsius etiam diaboli aut peruersorum hominum sequuntur suasiones: *Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare, ait S. Gregorius eo loco; quia velut contempto diuino altari, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinuentionibus credunt & salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur.* Sed quomodo scelus idololatriæ nolle acquiescere? Quia vt idololatra idolum suum colit & adorat; ita suo modo inobediens proprium iudicium omnibus aliis præfert. *Nolle acquiescere, ait ibid. Gregorius, idololatriæ sceleri simile dicitur, quia nimirum in inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum, non gestaret. Et dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi*

ad

ad adorandum simulachrum se inclinat. Subdit deinde Samuel statim ad Saulem loquens: *prò eo ergo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Sermo ille Domini, non immediate à Deo, sed à Samuele minitatus fuerat Sauli, & tamen abiicitur Saul; quia videlicet abiiciendo sermonem Samuelis, abiecit sermonem Dei, propterea etiam Dominus vocans Samuelem puerum tertiò, assumpsit vocem Heli Domini eius senilem, ita vt Samuel crederet vocari se ab Heli. 1. *Reg.*3. quia voluit nos docere, ipsum loqui nobis in superioribus, horumque vocem esse ipsius vocem. SECUNDÒ; offenditur superior, seu Magistratus, quod indicat *cit. Loco* Apostolus, cum ait: *Time* (scilicet potestatem Iudicis) *non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, q.d.* Deus accinxit illum gladio, dando ei potestatem vindicandi scelera; ergò illi timorem pariter & honorem ac obedientiam exhibe, alioquin tentas tu quodammodo discingere, quem accinxit gladio Deus. Nactus aliquando erat Dauid, occasionem occidendi in spelunca Saulem, Dominum suum Regem, sed hominem infensissimum, & tamen non aliter ei nocuit, quam vt clam accederet, & præscinderet oram chlamydi eius. Nihilominus facti mox pœnituit, & percussit eum cor suum, eò quo abscidisset oram chlamydis Saul, quia videlicet, vt mox dicebat, Dominus *ipsius & Christus Domini*, id est, vnctus erat. 1. *Reg.*24. Proinde potius timeant subditi in urgere in Magistratus & superiores suos, chlamydemque honoris ac potestatis, quam contulit eis Deus, detrahere aut præscindere per rebellionem, detractionem, murmurationem, aut quouis alio modo? Sunt enim & ipsi Domini eorum, ac suo modo vncti vt regant subditos. Vnde vulgo ciues vocant Magistratum suum, *Dominos suos.* Quod si eorum Domini sunt, quomodo eis repugnant? *Quid vocatis me, Domine, Domine; & non facitis quæ dico?* ait Dominus *Luc.* 6. Idem dicere subditis possent Magistratus. Refert P. Georgius Schererius *Dom.* 3. *post Epiph.* Machometem 2. Turcarum Imperat. cum anno 1596. ascenderet cum exercitu in Vngariam, ab incolis oppidi Ketschemit, rogantibus sibi parci ab equitatibus Turcicis subinde cateruatim transeuntibus, donatum 500. ouibus, 100. bobus, 1[illegible]. curribus simila refertis: remunerasse eosdem 300. ducatis, & vna veste aurea, iussisseque, vt hanc vestem aduenientibus monstrarent; tunc fore se securos. Factum vt

imperatum, Quoties aduenêre equites, Iudex loci veste illa conspicuus, sese contuendum Turcis obtulit. Et continuò Turcæ illi ab equis delapsi, vestem deosculabantur, maximà cum veneratione, & recedebant ab illo loco, nec quidquam molestiæ ei inferebant. Quid aliud facit Deus, cum Imperatorem, seu Rectorem quem constituit, nisi quod ei similem togam, eminentis potestatis induat & donet? & quis audebit talem violare togam? quis contumeliis insectari? quis detractionibus proscindere? quis eam oppugnare? vt enim chlamys illa Turcicum Imperatorem repræsentabat: Ita Magistratus & superior repræsentat Deum. *Quis extendet manum suam in Christum Domini & innocens erit?* ait Dauid seruo suo Abisai cupienti interficere Saulem dormientem 1. *Reg.* 26. TERTIÒ. Offenditur etiam proximus, qui malo vnius rebellantis exemplo, abalienatur à suo Imperatore, Magistratu vel rectore, vt parui aut nihili ducat omnia ipsius monita, ac præcepta. Huc pertinet Apostoli *loco suprad. subditi estote non solum propter iram* (id est, metum supplicij ab iis inferendi) *sed etiam propter conscientiam* (partim vestram scilicet; partim aliorum, quos exemplo vestro scandalizatis) Sic enim rebellis ille Draco, Lucifer traxit cauda sua, id est hortatu & exemplo, tertiam partem stellarum in terram, maximam inquam partem angelorem in infernum, vt dicitur. Sic Core, Dathan, Abiron, & Hon, rebellionis contra Moysen auctores traxerunt secum in eandem rebellionem alios 250. Viros, quos assumpsit ignis, cum quatuor vero illis Ducibus vna etiam vxores liberi, famuli & ancillæ omnesque domestici absorpti sunt à terra, quia vel consenserunt eorum rebellioni, vel saltem ab eis recedere noluerunt, prout facere moniti erant, *Num.* 16. Clamabat enim Moyses ad turbam: *Redite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Pestiferum igitur malum est inobedientia & rebellio, quia cum vnus non sufficiat resistere potestati superiori, socios sibi adsciscit: & facilè acquirit, quia iugi excussionem & libertatem suadet. Hinc etiam monuit Apostolus 2. *Thess.* 3. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Ergo vt infectus peste vitatur, nec solum ipse, sed & vestes eius, & quidquid habuit, ac tetigit: & vt ouis morbida, eiicitur è caula, ita vitandus etiam rebellis, & qui Antistiti suo detrahit, ne aliis, malum

Apoc. 12. *& exponit D. Tho.* 1. *p. q.* 63. *art.* 5. *& alii.*

malum suum afflet; vti monet etiam *S. Basilius in qq. breu. q. 26. 27. 39.* quam ob causam rebelles illi vna cum tabernaculis etiam, omnique substantia sua absorpti sunt à terra, ne contagies rebellionis vel per eorum suppellectilem in alios deriuaretur. Et puniti sunt olim, & punientur, Corda Cainitica, Linguæ Simeiticæ, Labia Diogetica, Salutationes Ioabi, Oscula IUDÆ, Manus SAULITICÆ, Nam, vt monet Poëta Ictus. *Gunther. in Ligur. lib. 4.*

Principibus, fili, tacitus maledicere noli,
Portat auis cœli, maledicta latentia Regi.

CAPUT IV.

Ambitio, præcipuus Spiritus Vertiginis, cuius Fœditas hic depingitur.

Oratio Sapientis Garamantum ad Alexandrum Magnum, qua probat, plus apud sese valere, moderate de se sentiẽtes, & pauca possidentes, quam ipsum multa possidentem, & arroganter de se sentientem, summæque esse dementiæ, longè lateque imperare Velle, qui breue habeat vitæ curriculum.

MOris est, Alexander, inter Garamantas, vt rarò alter cum altero, & propè nunquam cum peregrinis loquantur, inprimis si tumultuum illi & vitiorum autores sint. Hominis enim improbi lingua nihil aliud, quam cordis male affecti (& indignantis) præco est. Cum allatum ad nos esset, te in hanc terram venire; mox neque obuiam tibi honoris gratia proficisci, neque defensionem parare, neque oculos ad te contemplandum tollere, neque os colloquendi gratia aperire, neque manus irritandi tui causa mouere, neque bellum tui lædendi causa suscipere decreuimus. Multo enim maior est in nobis honorum & diuitiarum, quæ tu amas, contemptus, quam in te gloriæ & opum, quas nos contemnimus, amor. Cum tibi placuerit, vt te vidamus, cum te videre noluerimus, vt tibi seruiamus, cum seruire tibi nolimus, *Anton. Gueuar. in Horolog. Princip. lib. 1. ca. 33.*

nolimus, vt te alloquamur, cum te alloqui nolimus: Non pigebit nos hoc facere, sed ea lege, vt patienter nos ausćultes. Quod enim tibi dixerimus, magis tibi proderit, vt vitam corrigas tuam, quam vt ab oppugnanda patria nostra desistas. Æquissimum enim est cognoscere seculis futuris principes, & parui nos pendere, quæ nostra esse luce clarius est, & defatigari atque immori occupandis iis, quæ aliena esse manifestum est. Vnum ex te quæro, Alexander, ad quod an responderе valeas, haud scio, cum homines superbi ingenio soleant esse obfuscato. Dic mihi, quæso, quo pergis? vnde venis? quid vis? quid cogitas? quid expetis? quid moliris? ad quænam vsque regna ac prouincias indomitæ euagantur animi tui cupiditates? Non frustra ex te quæro, quidnam sit, quod vis, quid sit, quod postulas, quid sit quod quæris? Neque enim te, quid quæras, intelligere arbitror. Nam superbus & ambitiosus animus ne ipse quidem, quid satisfacere sibi possit, intelligit. Quoniam ambitiosus es, gloria te frustratur, quia prodigus es, libido habendi te decipit, quoniam iuuenis es, falleris ignorantia, quia superbus es, imponit tibi mundus, vt vulgum scilicet secteris, & non sequare rationem, opinionem amplectaris propriam, & consilium repudies alienum, ames assentatores & abs te segreges sapientes (ac virtuosos) principes enim & sublimes viri potius falso laudari, quàm vere corripi malunt. Equidem Vestri, ô Principes erroris (& abusus) causam non intelligo, quod in aulis regalibus (in regnis, prouinciisque) scurras & adulatores (ac moriones plures, quam viros prudentes) alitis. Nam domi principum si vnus sit præclarè factorum buccinator; sexcenti contra violentiæ vituperatores. Equidem iam nunc prospicio Alexander, fore vt citius dij finem tibi vitæ statuant, quam tu bello finem statuas. Viro enim turbis (ac contentionibus) innutrito, ipsa pro quiete inquietudo est. Video te militibus stipari, & Tyrannis circumsideri; video templa spoliare, & pecunias inutiliter profundere, video mactare innoxios, & inquietare pacificos, video te omnibus esse inimicum, & amicis, quod malorum extremum, carere. At verò tam immanes labores, quales isti sunt, fieri non potest, vt sustineas, nisi aut stultus es, aut hoc tibi supplicij diuinitus est impositum. Sæpè enim deorum permissu homines tranquillo fruentes otio & quiete, molestis onerosisque implicantur,

non

non vt ex præſentibus adipiſcatur honorem, ſed vt præteritorum pœnas perſoluant. Adeò quippe iuſti ſunt dij, vt ſeu ſerius, ſeu citius, nullum malum impunitum relinquant. Dic mihi quæſo? iam non dementia ſumma eſt? multos reddere pauperes, vt te ſolũ collocupletes? nonne extrema ſtultitia eſt, vt tyranni inſtar ipſe imperes, omnes dominij ſui poſſeſſione ſpoliare velle? Nonne veſania maxima eſt, quod cum vitæ noſtræ iactura monimenta vis in terris multa ſtatuere? Nonne inſipientia ſumma eſt velle, vt indomitas cupiditates tuas dij probent, & mundi vniuerſi voluntatem ſententiamque condemnent, Nonne extremæ eſt amentiæ, cum pauperum, viduarumque lachrymis, tam (difficiles &) cruentas velle conſequi victorias? Nonne veſania eſt inſignis, innocentum ſanguine terram inundare, vt famam inter hominem futilem parias? Nonne tibi videtur ſumma fatuitas, cum partiti inter tam multos mundum ſint dij, velle te ſoli tibi illum vendicare & rapere? Non ſunt, *Alexander*, iſtæ creaturæ inter homines mortales natæ: ſed furiæ inter Eumenidas tartareas generatæ & educatæ opera, Non enim æſtimandi ſunt homines ex indolis, quam habent, bonitate, ſed ex operum, quæ faciunt vel præſtantia, vel prauitate. Maledictus eſt niſi, tam fuit, & maledictus erit, niſi iam eſt, qui vitam, quam viuit, in perniciem conuertit omnium, hanc vnam ob cauſam, vt ſeculis futuris viri fortis (ac magnanimi laudem &) gloriam conſequatur. Rariſſime enim permittunt dij, vt in pace quis eo (ſuauiter) fruatur, quod bello iniuſto partum eſt. Volo ex te ſcire quænam iſta ſit inſolentia, qua impulſus Dario Regi, domino tuo, rebellaſti? quo defuncto, totum ſubiugare orbem conatus es, idque non tanquam Rex hæreditarius: ſed tanquam tyrannus aduentitius. Propriè quippe tyrannus dicitur, qui præter fas & æquum bona occupat aliena. Si te vel iuſtitiam, vel pacem, vel diuitias, vel gloriam, vel quietem, vel vtilitatem amicorum, vel vindictam de hoſtibus quærere dicas, nihil horum, ita me dij ament! hac, quam cœpiſti, inuenies via. Faui enim dulces inter fel amarum non naſcuntur. Nam quomodo iuſtitiam te credemus quærere; cum contra rationem & æquitatem, vniuerſam tyrannide terram opprimas? Quomodo pacem, cum quotquot te ſuſcipiunt, tributarios facias, & tibi reſiſtentes hoſtiliter tractes? Quomodo quietem; cum turbarum toto mundo ſementem facias? Quo-

modo clementiam, cum fragilitatis humanæ carnifex sis? Quomodo diuitias; cum tibi neque opes propriæ, neque ea, quæ à victis accipis, nec quæ à victoribus offeruntur, sufficiant? Quomodo (cognatorum aut) amicorum te credemus quærere commoda, cum ex amicis veteribus hostes effeceris nouos? Scito *Alexander*, Maioris esse minorem docere, & minoris maiori obedire: inter (pares &) æquales tantum esse amicitiam. Cum ergo nullum feras in terris (parem &) æqualem, non est quod vllum in mundo amicum speres. Sæpè enim principes per ingratitudinem fidelissimos perdunt amicos, & capitales per ambitionem parant hostes. At quomodo te credemus vltum ire inimicos, cum acerbius te ipse liber vlciscaris, quam Te vlciscerentur hostes captiuum? Quod si fortè male olim de patre tuo Philippo meriti, aut tibi nunc ipsius filio inobedientes fuissent: An non foret consultius illorum conciliare amicitiam, quam inimicitias confirmare? Animo enim misericordi & generoso quolibet supplicio grauius est alios vlcisci. Nec verò labores tuos, ad consequendam solidam gloriam, rectè collocari vere possumus dicere, cum conseruatione & vita, tam peruersa (& à virtute aliena) vtaris. Vera enim gloria non in adulatorum sermone, sed in Principum actione consistit. Non paratur improborum gloria commercio, sed bonorum consuetudine. Nimia quippe cum improbo familiaritas suspectam admodum reddit probi vitam. Non paratur gloria pecunias ad mortem comparcendo, sed easdem benè in vita dispensando. Est enim regula certissima, quod qui famam suam magni æstimat, ei pecunia parui æstimanda sit, & qui parui pecuniam pendit, argumentum est, eum famam suam magnifacere. Non paratur gloria innocentes occidendo; sed tyrannos delendo. Tota enim harmonia bonæ gubernationis Principum in puniendis malis, & remunerandis bonis sita est. Non paratur gloria aliena (auferendo &) rapiendo; sed propria dilargiendo. Nihil enim magis Principis maiestatem decorat, quam si in tribuendis beneficiis, (& præmiis) suam declaret munificentiam, & in recipiendis obsequiis (ac muneribus) nullam præ se ferat cupiditatem. Disce ergo, quisnam sit, qui gloriam in hac vita & comparet, & habeat, nimirum, non qui in bello vitam transigit; sed quem in pace mors aufert. Iuuenem te, *Alexander*, magnæque gloriæ cupidum esse animaduerto: Itaque scire te velim, nihil esse, quo magis pericliteris

de

de gloria, quam immodicè illam expetendo & affectando. Homines enim ambitiosi si voto non potiuntur, ignominiam reportant; & vt maxime voti reddantur compotes, nihilo sunt honoratiores. Crede mihi Alexander aduersam solidamque gloriam bene de multis merēdo nitendum, nō malis artibus contendendū est, GLORIÆ, quippè per violētiam partæ finis, tandem est infamia. Me quidem tui miseret, *Alexander*, cum video te carere iustitia, quia Tyrannidem amas; video te carere pace, quia bello gaudes: video te non esse diuitem, quoniam mundum reddidisti pauperem; Video te carere quiete, quoniam laborem (turbasque) sectaris; video gloriam non habere, quoniam infamiæ via ad eam grassaris; video te amicis destitui, quoniam illos tibi reddidisti hostes: Denique video te non vlcisci hostes, quoniam ipse in te carnificis, quod illi exoptant, occupas ministerium. Quod cum ita sit; vt quid in vita manes, iis destitutus bonis, propter quæ exoptanda vita est? Etenim qui sine commodo suo, & cum detrimento vitam ducit alieno, dignus est, qui capitis condemnatus vita priuetur. Nihil enim est, quod citius euertat ciuitatem, quam viros in ea (perferri ac) tolerare inutiles. Vt igitur vera loquar, à quibus admodum pauperes estis Principes, (ac dynastæ), ideo terrarum imperium abs te affectari credo, ne quem in mundo dominum agnoscas; teque simul vita spoliare tam multos cupere, vt immortalem illorum morte famā consequare. Si principes bellatores & crudeles, qualis ipse es, eorum quos occidunt, vitæ hæredes essent, ad prorogandum scilicet vitæ suæ spacium, quemadmodum facultatum accessione suas collocupletant domos: etiamsi iustum non esset, foret tamen bellum tolerabile. Sed quid prodest hodie seruum vita priuari, si in crastinum domino (heroue) capitis diem mors dicat? Nimietati nimirum amentiæ tribuendū; *Alexander*, aut prudentiæ defectui, Velle aliquem diu imperare, cum breue (& vix diurnum) habeat viuendi spatium. Homines arrogantes & ambitiosos, qui opera sua non dierum, quibus victuri sunt paucitate; sed cogitationum, quas de imperio concipiunt, amplitudine metiuntur, & vita laboriosa manet & mors periculosa: Cuius remedium est, vt vir sapiens & cordatus, si non consequitur, quod vult, eo sit contentus, quod potest. Scire te velim, *Alexander*, non esse homines perfectos, qui multa vident, multa audiunt, multa cognoscunt, multa possident, multa possunt, multis imperant, sed (qui voluntati

parent, nutuique Deorum. Omnino) eum perfectum esse affirmo, qui, quod habet, iudicio non meretur proprio, & multo amplius eo, quod habet, iudicio meretur alieno. Non indignum censemus gloria, qui se illa dignum autumat, atque idcirco mereris *Alexander*, qui mancipium sis omnium, quod te dominum mereri in omnes cogitas. Ita me Dij ament immortales, vt nescio cur tibi displicuerit amicum esse & beneficiarium Darij, vt nescio, quid inde emolumenti capias, quod dominatum mundi expetis. Longè enim reuera potior est seruitus in pace, quam dominatio in bello: & si quis, quæ dixi, contradixerit; eum (veritatis) gustum perdidisse (& male sanum esse) aio.

CAPUT V.

SPIRITVS VERTIGINIS.

Præsumpta quorundam LIBERTAS.

LAcon Adolescens bello captus, clamabat: *Non seruiam*. Et vt primum iussus, seruili, & contumelioso ministerio vti, illisum parieti caput rupit. Quid Mutii dextera ardenti foculo castigata? Similiter magis ad rebellandum, quàm bellandum, tentandam, quàm tuendam Libertatem, natus immorigerus subditus, contrà Imperium, & Imperatorem inclamat, LIBERTAS, LIBERTAS, NON SERVIAM, Nescius reuerà, quàm iniurius in suam, & Posteritatem & Libertatem fiet: Vitium est mortalitatis prurire noua, ac nauseare præsentem, qualiscunque tandem sit, statum & conditionem. Qui in libertate viuunt, regnum expetunt; qui in Regno, Libertatem; Turbulenta nimirum hominibus data sunt ingenia, qui plenam nec libertatem, nec seruitutem pati possunt. Ex horum numero eos censeo, qui vt publicum Fiscũ defraudent, ignobilem Domicello suo stipẽ conferre gaudent; Contrà simul ac Prouinciali onere premuntur, inclamant: Libertatẽ stolidè amissam, Frustrà Phryges! Exemplorum via strata, à Lubecâ

1. Samuel. 8. capit. 3. Reg. 7. & 12.

quæ

quæ Danorum Regis ſeruituti erepta, in Protectionem Imperii ſuſcepta eſt, Idem Vlmæ, quæ à Carolo Augiæ Majoris Abbati data, Libertatem rurſus inclamauit. Reutlinga, & Eslinga, Principibus olim ſubditæ, ac illorum obſequio in fauorem Imperii ſe exemerunt, ac redemerunt. De Pannoniæ Regno à Cæſare poſtularunt Principes, vt excuſſo Barbarorum diuinitus iugo, Imperio rurſus coadunetur. So es durch Göttliche milte Gnade / von den Feinden errettet / zu Kräfften käme / es dem Heyligen Reich zugewandt / verbunden / vnnd eingezogen werden ſolte / ſanè membra à capite ſeparanda non ſunt, ſegregata facilè redeunt ad ſui naturam, eâque promulſide emaciatum Imperium refocillatur. Nam quâ fortunâ eximi ſe paſſi ſint, reipſa experiuntur, dum Libertatem ſub ſacro & mitiſſimo Imperio, cum æterna ſeruitute commutarunt; Poſt ius nimirum amiſſum, ſera pœnitentia. Qua ergò voce vtar? quàm illa Tiberii. O homines ad ſeruitutem natos, & deſtinatos! Quoniam primò ſplendorem amittunt: quantò enim honoratius colla ſubdere Principum Principi, quàm Minutulo cuipiam Tyranno? Nam primus titulus, quem inferior Dominus iis dat, eſt, quod appellat illos Ruſticos ſuos, ſicut acerbo ioco, ſcripſit Rolandus à Valle. Sed & rem ſuam. Simul ac Imperio Pacis ſpes affulget, immunitatis quoque ſpes ſupereſt; ſed macilenti iſti ſemper egent, famentque, nec mittit cutem, niſi plena cruoris hirudo. Tertiò etiam perdunt ſecuritatem: Vnde enim ſeditiones? niſi quod Princeps minor eſſet contemptior? Vnde perſecutiones, niſi quod eſſet imbecillior? Denique Libertatem: Dum clariſſimas olim Imperii vrbes, exterorum præſidio, militum coloniis, arcium molibus, veluti ſeruitutis compedibus, & clauſtris contineri videmus: Experiuntur illud Ordines Galliæ & Regni Arelatenſis, De quibus vulgare apud Gallos ipſos Prouerbium, *Depuis, qu' ils ne ſont plus ſoubs L' Empire, ils ſont Empirés, id eſt, poſtquam defecerunt ab Imperio, cœperunt eſſe ſub deteriori Imperio, id eſt, ſeruitute Regum Galliæ*, Boruſſi quoque & Liuones, cum Parentum memoria præfractè obſtinaſſent, nec ſeſe Conſtitutionibus Imperii, aut ſubſidiiſque operiſque mutuis conformari, aut circulo alicui adſcribi adſentirent, ſed neſcio quàm Exemptionem adinſtar Rebellium Bohemorum, prætenderent, tandem ab Imperatore & Ordinibus deſerti, iuxta regulam iuris, *Qui incommodis aliorum non premitur*

Helmold. lib. 1. hiſtor. ca. 58.
Krantz. lib. 7. Vandal. cap. 7.
Cuiac. lib. 5. De Feud.
Cruſ. part. 3. Annal. Sueuic.
Gilmann. tom. 3. Præiudic. Cameral. fol. 143.
Adde tom. 5. relat. 9. fol. 28.
Reichs Abſchied / *Anno 66.* §. Vber voriges.
Conſil. 1. n. 38. vol. 1.
Regiments Ordnũg / *An.* 1500. *rubr.* Wo dem Reich Glück zuſtünde.

mitur

mitur, nec commodis illorum subleuari debet. Nunc duram illam Polonorum seruitutem seruire coguntur, cum sub Sacri Imperii libertate potuissent esse Domini liberrimi. Fideles & morigeri subditi nullam credunt, nisi sub optimo Imperatore suo libertatem esse posse, Animis illi adhærent, cum aliter non possint, &iam prius seruire se intelligunt, cum mite Principis sceptrum suum non vident. Præsertim in Austriacorum Prouinciis, & Regnis tanta libertas est, vt maior alibi etiam in Aristocratico Democraticoque statu esse non possit. Quæ cum ità sint, Euellite seruiles animo capillos, & Imperium sequamini, cui seruire summa libertas est! Quod enim antiqua Priuilegia retinere confiditis, immane quantum spe, & opinione vestra falsi estis. Quod enim forsan in initio status eximens paulatim (Tiberij vafrities hæc erat) Principem egerit, nihilque de veteri iudicii forma immutando liberiora nouitiis hospitibus frena reliquerit, quod veluti arcanum Dominationis instillat *Clapmarius.* qua nouitate detersa, credibile est, eas eandem cum reliquis municipiis fortunam luituras, non secus ac inter domesticas olim gallinas, soliuaga perdix. Dolendum igitur, atque iterum dolendum, quod Purpuræ Imperij Exterorum Gallorum & Suecorum atrocitate laceratæ residuus pannus, intestino dissidiorum scelere mutiletur, Dum priuatis commodis quisque inhiat, liberasque prouincias ab Imperio, aut eximere, aut opprimere studet; Verendum sanè est, ne quod vniuersis nulla vi humana fieri posset, singulis propria culpa contingat, vt se suosque prædæ alienæ lancinandos exponant, Dum Exemptiones increbescunt, Sanctumque Imperium discerpitur, magno suffragiorũ, virorum & viriũ damno & peste, Augusta Imperii Maiestas tritis illustriũ fundorũ discerptionibus depressa fœdè euilescit, Fiscus cõtrà sui naturã tabescit, quo nil perniciosius, cum neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque hæc sine tributis haberi queant: Vnde Diui olim Augusti, non modo decorum censuerunt, ne quid Fiscus sentiret dispendii, sed & impossibile iudicarunt, vt sacris tributis, velut neruis non illatis, Respublica conseruetur. Ite proinde degeneres, Ite spuria vitulamina, si vestris vos placitis & arbitrio delectet viuere, nimis grande hoc serui supercilium est, & intolerabilis arrogantia, si ea tantum mandata velit persequi, quæ sibi probantur, & allubescunt. Quinimò propria hæc

Plato in Alcibiade.

Lib. 6. arcanor. cap. 5.

Tacitus. lib. 4. Historiar. Nouell. 27. cap. 1. & 17. cap. 1.

hæc voluntas ſubditi, quantum in ipſa eſt, Deum perimit, & Imperatorem, omninò enim vellet, nec Deum nec Imperatorem eſſe. Cui rei explicandæ ſubſeruiat hic Apologus. Quondam fæx hominum & furum, Lauernionum, effractorum, ampla ſocietas libellos ſupplices porrexerunt iudicibus, rogaruntque patibula & furcas auferrent, rem fœdam ante vrbes, parcendum oculis & naribus viatorum tranſeuntium. His à iudicibus reſponſum eſt, ſi quidem antiquatum cupiant morem patibulandi, prius ipſi conſuetudinem abrogent furandi, Iudices in mora non futuros, quin protinus cruces tollant & patibula, modò ipſi prius ceſſare iubeant furta. Hic è furum albo audacior vnus: Venerabiles Domini, ait, nos furtorum auctores non ſumus, quod ergo nos non inuenimus, nec etiam abrogabimus. Quibus iudices reſponderunt: Neque nos ô viri, patibula excogitauimus, ergo nec etiam abolebimus. *Ceſſet proinde Voluntas propria ſubditorum, nec Bellum, nec infernus erit.* Narrat Trebellius Pollio, Marium Romæ Tyrannum ſeptimum fuiſſe, hic vno die factus imperator; tertio interfectus eſt à gregario milite, qui dum ſicam in pectus Marii adigeret, acerbiſſimum hoc addidit: Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti. Nam è cultrarii officina peruenit ad diadema: Ei, qui diuinæ & Imperiali voluntati refractarium ſe gerit, iure ſic inſultatur: Hic eſt gladius, quē ipſe feciſti; Tu, Te gladio ipſe iugulas, hoc eſt, PROPRIA VOLUNTATE, Quod Achilleus, vir religioſiſſimus hoc Apologo declarans: Arbores, inquit, in monte Libano collocutæ, dixerunt: Quàm grandes ſumus & proceræ, & tamen ferro non magno incidimur, & quod peius eſt, à Nobis ſumuntur arma, quibus impugnamur, ferrum, vt vulneret Nos, manubrium à Nobis accipit. Talis arbor eſt homo, inſtinctus Diaboli, ferrum, voluntas hominis, manubrium. Sic nemo læditur, niſi à ſemetipſo, Turdus ſibi proprium cacat malum, ſcilicet, viſci gluten, quo poſteà capitur: Nec antè ſcalpurire vngulis gallina in ſterquilinio deſinit, quam cultrum, quo iuguletur, eruat: Aſciam, qui ſponte cruribus ſuis illidit, neminem niſi ſe accuſare poteſt: qui deiicit alium, docet alium, vt ſe deiicere diſcat. Summatim, iuxtà Platonem, Non eſt certius interituræ Reipublicæ ſignum, quàm, vbi multa in ea ſurgunt capita.

S.Bernard. Serm.3. De Reſurrect. Domini.

CAPUT

CAPUT VI.

SPIRITVS VERTIGINIS, NEVTRALITAS, & Protectio Peregrina.

VEspertilio, nec Mus est, quia volat, nec auis, quia ab alitum consortio abstinet interdiu, & oberrat in tenebris: Ità & NEUTER, de quo salsè Ovvenus.

Pompeianus ero, si vicerit omnia Magnus,
Omnia si Cæsar, Cæsareanus ero.

L.10. ff. De Stat. hominum. L.15. ff. De Testib. Monstrum igitur, veluti Hermaphroditus, quales omnes timidi Lepores esse dicuntur, aut Chamæleon, in & ex aëre viuens, qui quoscunque colores sibi obiectos induit, aut Polypus Piscis, qui Petræ adhærescens ei fit similis, seu Neuter est Arundo vento agitata, *Matth. cap.* 11. *v.* 7. quicquid sit; *Neutral*, per Anagramma dicitur, *Luteran*, De his Spiritus S. loquitur apud, S. Iohannem in Apocalypsi. (Cap. 3. v. 13.) *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium Creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus, neque calidus, vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Qui enim non est mecum, contrà me est, & qui non congregat, dispergit: Nec potest quis duobus Dominis inseruire, quia vnum diliget, & alterum odio habebit, (Luc. 16. cap.) Nam cum aliter Domus tuta esse non possit, nisi periculo capitis sui custodiam Dominis, tàm à Domesticis, quam ab extraneis, præstare serui cogantur. (L.1. §.1. ff. De Scto, Silaniano, & Claudiano.) Ideo *Scta* introducta sunt, de publica quæstione, à familia necatorum habenda. Hoc rescriptum multa continet, nam ei non parcit, qui in eodem conclaui fuit, *& ei, qui timuit mori, non ignoscit*, & quod vel voce oporteat seruos Dominis auxilium ferre ostendit. Pensiculemur formam iuramenti fidelitatis, quod præstat vasallus subdito, quæ talis est. (§.29. & ibi Gothofr. d. L.1.) *Ego iuro, quod nunquam scienter ero in consilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in persona aliquam læsionē, vel iniuriam*

vel contumeliam, vel quod tu amittas aliquem honorem quem nunc habes, vel in antea habebis, & si sciuero vel audiuero de aliquo, qui velit aliquod istorum contra te, pro posse meo, vt non fiat, impedimentum præstabo. Et si impedimentum præstare nequiuero: quam cito potero tibi nuntiabo, & contra eum prout potero, auxilium meum tibi præstabo: & si contigerit te rem aliquam quam habes, vel habebis, iniustè vel fortuito casu amittere, eam recuperare iuuabo, & recuperatam omni tempore retinere. Et si sciuero te velle iuste aliquem offendere, & inde generaliter vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut potero, præstabo auxilium. Et si aliquid mihi de secreto manifestaueris, sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam: & si consilium mihi super aliquo facto, postulaueris illud tibi dabo, consilium quod mihi videbitur magis expedire tibi: & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertineat ad tuum vel tuorum iniuriam vel contumeliam. Hinc si Vasallus ex acie fugiat, & Dominum suum relinquat, merito feudo priuatur, quamuis Demosthenes turpe non existimauerit fugere. Cum enim illi obiiceretur, quod ex acie fugisset, crimen hac responsione diluit. Ἀνὴρ φεύγων, πάλιν μαχήσεται, hoc est, vir fugiens iterum pugnabit, sed aliter Lacæna censuit, quæ filium ex acie fugientem interfecit, inquiens: *Non est meum hoc germen.* Et Damatria mater filium in bello timidum, & ipsa indignum, ex bello redeuntem necauit, inscribique sepulchro hoc distichon iussit.

Hunc timidum Mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

Declaratur ab Arcadio & Honorio reus læsæ Maiestatis, quisquis cum militibus, vel priuatis vel barbaris scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius acceperit sacramentum vel dederit, & puniendum gladio adiectis bonis fisco, cuius, inquit, lex, pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. Maiestatis in quam crimen committitur, quando quis molitur quippiam cõtra Imperatorem, Regem, Rempublicam non recognoscentem superiorem: contra securitatem & tranquillitatem populi: quo tenetur is, cuius opera, dolo malo consilium initum erit, quo obsides iniussu principis intercideren, quo armati homines cum telis, lapidibus, quæ in vrbe sint, conueniantue aduersus rempublicam, locaue occupentur vel templa, quoque cætus conuentusue fiat, hominesue ad seditionem cõuocentur, cuiusue opera, consilio, dolo malo, consilium initum fue-

L. 5. C. Ad. Iul. Maj.

rit, quo quis ex Magiſtratibus populi Romani, quiue Imperiũ habet, occidatur, quoue quis contra Rempublicam arma ferat: Quiue hoſtibus populi Romani nuntium, literaſue miſerit, ſignumue dederit, feceritque dolo malo, quo hoſtes populi Romani conſilio iuuentur aduerſus rempublicam, quique milites ſolicitauerit, concitaueritue quo ſeditio tumultuſue aduerſus rempublicam fiat, qui iniuſſu principis bellum geſſerit, delectũ militum habuerit, exercitumue comparauerit, quiue cum ei in prouincia ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſori nõ tradiderit, qui in bellis ceſſerit, aut arcem dereliquerit, qui hoſtem concitauerit. Additur his crimen & pœna Legis Iuliæ de vi publica. Heluetij in ſuis confœderationibus ſtabilitis à ſuis rebuspublicis poſt expulſos principes, cauerunt, ne qui ex confœderatis, cum aliis non comprehenſis, factionem ſocietatemue nouam inirent, ſine conſenſu totius ſocietatis & pagorum confœderatorum. Reges quoque Galliæ habito comitiorum conſilio prohibuerunt omnibus regnicolis & ſubditis ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis, ſocietatem ſeu ligam inire cum aliis principibus extraneis, neque ad illos literas ſcriptas mitterent, aut ab illis acciperent, ſeu ab illorum ſubditis de rebus ſtatus & cauſis regni, ſine expreſſa regis permiſſione & licentia.

Pr. §. 1. ibi, Ohn gemelter jhrer Obrigkeit Wiſſen vnd Willen Käyſ. Landfried *An. 1548.* zu Augſpurg *declarirt, A. B. Caroli IV. tit. 15. ibi, abſque authoritate Dominorũ.*

Præterea, vt Patrocinium imbecilliorum ſuſcipere non licet; ità & paciſci Subditi, Domino ordinario inuito, nequeunt. Siquidem in eo, quo reperitur gradu, ſubditos relinquere, & conſeruare tenetur Dominus, nec Pacta, & fœdera, in ſubditorum, & vaſallorum præiudicium inire, neque inuitos in alium transferre, quin ſubditi contradicere & impedire poſſint: Cum Dominium non mutare, nec ſeueriori, aut inferiori minuſque potenti ſubiici eorum interſit: Inferior enim Dominus ſubditos pro primo titulo Ruſticos ſuos appellat, & adeò excoriat, vt precarium vix eis dimittat ſpiritum: Nam breue Regnum ſubditis non parcit, in lata gente Principis gloria: Et cum Domini & ſubditi ad paria, ac illi his ad vices reddendas teneantur; ſubditi autem ad Dominos, vt liberi ad Parentes ſe habeant: hinc, vt Domini fœdera in præiudicium ſubditorum inire, nec ſubditos inuitos alterius Imperio ſubjicere poſſunt; ità viciſſim ſubditi, nec Dominorum poſſeſſionem interuertere, neque ius ipſius Domini, ipſo inuito, in alium transferre, aut Ligam in præiudicium Domini facere, nec

nec denique ordinario contrà reuerentiam, ex Lege diuina ipsi debitam, spreto, potentioris alicuius se submittere possunt protectioni. Hoc enim veri Domini concernit præiudicium, tum quia iniuria quodammodo afficitur, dum pro tali reputatur, qui eius non sit animi, ac potentiæ, vt suos tueri possit, & consequenter obedientia eius paulatim minuitur, Protectoris verò augetur, tum quia subditos habere locupletes Domini interest, cum hi pingues eius nerui, & eorum commodum Principis proprium esse dicatur, vtpote cuius fiscus subditis vtens locupletibus abundat, nam vbi Leo tenet pedes, cætera animalia quiescunt. Eo igitur res redit, per fallacem NEVTRALITATEM, & PROTECTIONEM PEREGRINAM, Aquila sensim deplumatur, eius corporis vires, scissis, mediante perfidæ defectionis Anatomiâ, membris, debilitantur, atque hoc modo, Imperii Romani pennis, victores exteri exornantur, Leoni Religio, Gallo Fasces in prædam, vltroneâ, & spontaneâ sui ipsius deditione, infamium subuerbustorum more prostituitur! Phui! sordium sorditiem. Immundities hæc vpuparum, proprium suum nidum conspurcantium propria, & veris Germanis indigna est. Sanè vereor, ne ad exitium taliter properent, quæ vsque adeò ad inuidiam perducta sunt. Ita enim, ait Poëta.

L. 2. C. De omni agro desert. Nouell. 8. in Præfat.

Fulmine, quæ nunquam fertur percussa volucris
Casibus vt variis Sturne Poëta, patet,
Perdidit hæc alas dudum, caudamq́ʒ, pedesq́ʒ,
Concessit Latio, Pontificiq́ʒ caput.
Viscera nunc eius, vereor, ne LILIA *, tentent,*
Altiuolæ, FLOS *hic, perniciosus Aui.*

Hæcque scissio dedit ansam, Hieronymo Auentino ad Ordines in Comitiis Ratisbonensibus, Anno 1594. sequenti perscribere stylo.

O Proceres, Proceres, dum quâ quis sede sedere,
Debeat, inter vos rixæ miscentur & iræ
Ne Vestras sedes, & ne charissima quæq́ʒ
Eripiat vobis crudelis Turca, cauete
Illum etenim semper discordia vestra potentem
Fecit, & illius victricia reddidit arma.
Ponite iam, quid cessatis? rogo, ponite Vanos

Inuidiæ morsus, odia & mala iurgia, tempus,
Inq; aliud magis appositum differte querelas:
Publica ne pereant priuatos propter honores.

Quæ & illis dictata velim, qui in Vrbe Pera, maximam in Imperij & Procerum contumeliam, Aquilam deformarunt, eidemque iniuriosos alios adiecerunt Comites, Satyricâ explicatione, quam refert *Herberer* in seruitute Ægyptiorum. inquiens.

Lib. 3. c. 4. pag. 358.

Daß der verkehrte Adler ist ein Fürbilde deß Römischen Reichs/ dann deß Adlers starcker Schnabel vnd scharpffe Augen/ sind verkehrt in ein zarte Jungfraw/ in ein Baderhütlein/ vnd mit flügenden Haaren/ mit einer Geygen in jhren Händen/ das bedeutet die Haubter deß Römischen Reichs wären gern bey schönen Frawenzimmer/ in lustigen Bädern/ vnd lieblichem Seytenspiel/ vnnd thäten dem Türcken keinen Abbruch/ der Leib deß Adlers ist/ so noch zu sehen vnd zuerkennen/ bedeutet die Ständt deß Römischen Reichs/ welche auch noch zu sehn vnnd zuerkennen/ der verkehrter Schwantz deß Adlers in Schlangen/ bedeutet deß Reichs Rath/ welche als lüstige Schlangen das Röm. Reich mit jhren falschen Rathschlägen/ vnd durch jhr verborgen Gifft schändlich verderben vnd verführen. Sed excusat vnum vel alterum forsan vt opinatur falsò, Tranquillitas status proprii, si oppugnet alienum, sociatus hæreticis? An ergò Christus exturbandus, vt Pace fruamur. Hoc scilicet illi docent, qui Christum idolum, Euangelium eius, fabulam sibi, esse sentiunt, tametsi aliter nunquam loquuntur. *Quod si ne minimum quidem malum faciendum est, vt bonum adipiscaris*, (quod qui dicunt ipsorum damnatio iusta est, teste Paulo ibidem) quantò minus tàm execrabile facinus suscipiendum est, vt tantillum bonum assequaris temporalem ac momentaneam tranquillitatem. Quid tibi Saluator tuus Iesus Christus nocuit? Quid in te Ecclesia Christi sponsa peccauit? Quid Posteritas innocēs, quā (si Deus siuerit) æterna erroris Caligine demergis? Cuius sunt hi tituli, quos aboles? Hæc templa, in quæ prædones immittis? Cuius sponsæ sunt hæ virgines, quas impuris Canibus prostituis? Vrbes Catholicis eripis, Hæreticis autem, feris dicam, an hominibus, posidendas tradis. Præcones veritatis expellis, & falsorum dogmatum assertores delusæ plebis ceruicibus imponis: Ecclesias ereptas Christo, Sathanæ transscribis. Quid com-

Κρινόμενον, & eiusdem Anticrisis.

Rom. 3. v. 8

commemorem extinctum Sacramentorum vsum, Ecclesiæ Obedientiam denegatam? Sanctorum memoriam quis extinxit? quis violauit? quis ludibrio habuit? Tu nimirum, qui Christiano sanguine machærã infecisti, vt hæreticis aditũ ad tantã impietatẽ parares. Iratis, irritis, auaris, crudelib. furentib. hæreticis, Religioni Catholicæ infestissimis, in manus tradis Principes Orthodoxos ex fœdere, Episcopos, populos, tẽpla, Altaria, omnia sacra; Nec tamen, vt prætendis, tibi in animo est, nocere religioni; Gladium das in cædem ardenti, nec vis, vt occidat, Pastorẽ occidis, fidas canũ excubias amoues, Ouile Lupo famelico reseras, & Crimen laceratatũ ouiũ excusas? Fecimus hoc, inquis, sed non eo fine, vt Lupi laniená exercerent, Lupi amici erant, ex Lege fœderis ista facta sunt, quæ commemoras, vt possent laniare, non vt vellent effeci. At nec hoc facere licuit, imò Natura hoc vetuit, nec Nos innocentem diceremus, qui Nos inimicis traderet, Fratrem, pro quo mortuus est Christus inimicis tradere, tale factum est, quod nullo honestatis velo obuolui potest, Connexa illa sunt, vt facto crimen hæreat. Quam quæso ansam belligerandi vobis dedit Augustalis Domus Austriaca? Crudelitas est, pereunti minari, cum nolit perire, Dicit Cicero, Nihil à Populo Romano visum indignius, quàm cum Quintus Scæuola, Vir sanctissimus, & Ciuitatis Romanæ Ornatissimus vulneraretur, à C. Fimbria homine insanissimo, quod accusaretur ab eodem: & cum ab eo quæreretur, quid tandẽ accusaturus esset eum, qui pro dignitate non poset à quoquam laudari, responsum fuisset à Fimbriâ, quod non totum telum Corpore recepisset. Sed affectari Monarchiam Hereditariam in Imperio Romano ab Austriacis quereris. Posito, non concesso, Deus hoc vult, quia permittit, & non impedit, Omnis constans gloriæ, victoriæ ac gubernationis fortuna à solo dimanat Deo, à Deo stabilitur, à Deo solo propagatur. Quare nihil ei, qui vel Pacis vel Belli famæ velificatur, inuitiore Dei Numine est tentandum, sperandum, cogitandum. Impia enim est illa nouorum Politicorum icon, & germana Atheismi, seu Machiauellismi soror, quam de Materia Status sibi fingunt & pingunt ij, qui præferunt in Curia bonum vtile honesto, humanum diuino, id est, Hypæpas Romæ. Ergò feras, non culpes, quod vitari non potest. Omnibus modis primi Imperatores Imperium in suâ domo firmare studuerunt, &

Orat. 2. pro Roscio Amerino.

quod, si liberos genuinos non haberent, alios ad Imperium adoptarunt, Hincheredes, *Seneca* vocat, *Adminicula Augusti*, Suetonius, *Subsidia Aulæ*, & *Consortes Imperij*. Plinius, *Subsidia Dominationis*, Rationem verò hanc arcanam habuerunt, ne Principatus, & Regnum, mortuo sine herede Rege facilè in partes distraheretur, & in aliam Rempublicam mutaretur, vt testatus est, Aristoteles, & Exempla sunt obuia, in Alexandro Magno, Philippo Maria, Iohanna Regina Neapolitana, aliisque. Catholici Christiani haud ignorant, historiæ quoque continuata serie abundè testantur, Catholicissimos Hispaniarum Reges, nunquam ductos fuisse, nec duci Dominandi, sed salutem animarum procurandi libidine, non auaritia auri, cuius apud hæreticos, ratione deiectorum Episcopatuum, Abbatiarum, Monasteriorum, sacra fames, sed auaritia animarum ex faucibus Diaboli eripiendarum, non aucupio gloriæ mundanæ, & transituræ, sed æternæ, & perennaturæ, nec denique vindicta à Germaniæ Principibus, sed à communi hominum hoste circumcursitante, vt Leone, & quærente quem deuoret. Sanè Interregnum omne quod Imperij mastiges affectant, periculosum esse, & ratio dictitat, & variarum tempestatum casus atque euentus docuerunt. Inest enim Principibus, nescio, quæ authoritas, ad amorem bonorum, terroremque malorum diuinitus infusa, quæ solâ suâ præsentia, & probos ad virtutes inuitare, & improbos ab instituto facinore solet prohibere, Principe verò sublato languescit virtus, & sceleratis fenestra latissima ad inuadendam Rempublicam aperitur, Horret Lupus molossum, metuit Pastorem, nec proprius audet ad ouile accedere, si hos spectauerit adesse, & Respublica veluti nauis sine gubernatore, seditionum fluctibus iactatur, ac mergitur Id quod accidit post Fridericum II. Imperatorem, Eo enim excommunicato & decreto Concilij spoliato Imperio, Respublica, velut Anarchia quædam annos duodeuiginti caruit Imperatore; quo tempore multa ciuilia bella, frequentes seditiones ac infinita mala, quotidiè in Germania exoriebantur, quæ Romanum Pontificem tandem permouerunt, vt Electores ad certum Imperatorem designandum compelleret, qui Rudolphum I. Austriacum, gentis illius Conditorem posteà vnanimiter elegerunt, Vos cæteroquin accusatores Imperij Mastiges ipsi estis tales, quos Austriacos arguitis. Vestrorum Principatuum Κεύφια intellexit Poëta, cum canit.

Arnold. Clapmar. de Arcan. Rerumpub. lib. 2. c. 21.

Et flu-

Et fluuios cogunt vndâ coeunte minores
In nomen transferre suum.

Nam qui tempore & aqua turbida vti potest, apud vos, sapiens pol audit? nec è Phoebi cortinâ prodiit oraculum circumspectius & vobis gratius isto Otthonis. *Transitus rerum conatibus oportunos esse.* Quocirca Pseudopoliticorum sancta instructio est, semper inter vicinos potentes occultissimè odiorum semina spargenda, vt ipsis bellorum Clade attritis, tu intereà rerum tuarum satagas, si non ad potentiam, saltem ad securitatem. Talis animi & indolis fuit Philippus Macedo, qui velut è speculâ omnium libertati insidians Ciuitatum contentiones alendo, auxilium inferioribus ferendo, Victos pariter victoresque Regiam seruitutem subire cogit. Qui conatus in Imperij-Mastigum quoque fuit herba, nunc demessa, de alienis certare, ipsorum Laus Regia fuit, Ius ibi violandum, si violandum, Camelus Cornua affectans, amisit & aures, apud Æsopum, & Haman machinatus malum Mardochæo, emeruit Græcum Π, id est patibulum quod aduertit S. Iacobus Apostolus, hanc concupiscentiam signanter notando, his verbis. *Vnde bella & lites in vobis. Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis: Occiditis & Zelatis: & non potestis adipisci: Litigatis, & belligeratis, & non habetis propter quod non postulatis. Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, & in concupiscentiis vestris insumatis.* Cuius Exemplum recenset Otho Frisingensis Episcopus (apud quem authorem sit fides, duntaxat apud me relatio) *Otto Palatinus Comes, perfidi Comitis Scirensis, & iniqui Patris haud dissimillimus hæres, omnes priores malitiâ supergrediens, Ecclesiam Dei, vsque in præsentem diem persequi non desistit. Sic enim mirabile dictu, quo diuino iudicio, nescio, pene tota illa posteritas in reprobum sensum tradita est, vel nulli vel pauci vtriusque sexus, cuiuscunque professionis, seu ordinis ex eâ inueniantur, quin vel apertè tyrannide desæuiant vel omnino infatuati, ad omnem tam Ecclesiasticum quam secularem honorem indigni, furtis & latrociniis inseruientes miseram vitam mendicando transigant.*

Qui aliena appetit, sua perdit, Welcher strebt nach eines andern Guth / auff den wartet armuth *Adagium.*

lib. 6. Chronic. cap. 20.

CAPVT

CAPUT VII.

BELLI *Romano-Germanici, vti & cæterorum, vera, & Primaria causa,* ***ABVNDANTIA PANIS, & Luxus.***

Nobilitas fastum, fastus litem parit, armat
Lis odium, capiunt hæc tria Martis iter.

Philipp. Cominæus. lil. 1. commem. rer. gestar. & dictorum Ludouici, 11. & Caroli VIII. cap. 2.

SVB PHILIPPO bono, Duce Burgundiæ, subditi præditi erāt rerum Copiâ, abundantia longæ Pacis opulentissima, qui fructus erat singularis in Duce Bonitatis, sub quo degebant; Ille perparuis aut nullis exactionibus eos premebat, vt nullam ea ætate regionem Beatæ nomine hac iustius censuisses, quotquot sub sole erant. Erant diuites, & diuitiis frui tranquillitas Pacis sinebat, nec post semel amissam ante hos viginti tres annos, felicitatem reprehendere eandem potuerunt. Superbia, autem opulentiam sequebatur, luxus & fastus vestitum tam virorum, quam mulierum, in superfluas expensas protulerant, conuiuia opipara, & splendor epularum prodigalitate immani omnium aliarum gentium profusiones excesserant. Balnearum parum honesti cum fœminis, aliique conuentus, irritandæ libidini omnem pudorem exsuerant, neq; magnatum iam velut ordinariam luxuriem loquor; vulgus muliebre nullum insaniendi in talibus modum habebat, prorsus neminem toto orbe tam potentem esse principem opinabantur, qui vel auderet vel posset, felicitatem tantam turbare, eo amentiæ superbia gentes has euexerat. Nunc vero interlapsis aliquot annis, tanta rerum mutatio oborta est, vt florentissimæ nuper, nunc prouinciarum sint desolatissimæ, vt animum subeat cogitare, luere nunc eas prosperarum rerum abusionem tantis aduersitatibus: inter omnia vitia securitas quoque impietasq; pectora ipsorum obsederat, vt nullam omnino partem prosperitatis ad Deum Auctorem referre vellent, qui hoc etiam exemplo docuit, sese conferre copias bonarum rerum, & auferre quibus velit. Vnde perspicitur quantilla res sit Homo, & quàm Vita nostra miserabilis breuisque, neque vllo censu potentes

tentes præpollere pauperibus, cum vtrorumque illicò à morte corpora omnibus honori sint, & Vituperio. Quodque oporteat animam, cum primum his separata fuerit, iudicio suo sisti? Et profectò ipso momēto discessus à corpore, credibile est sententiam ferri à Deo, secundum opera, virtutesque huius vitæ, in cuiuslibet animam. Quam sententiam appellamus iudicium speciale. *Philipp. Cominæus Commem. rerū. gestar. lib. 6. in fin.*

PARASCEVE AD LIB. V.
Ex Historia ALEXANDRI.

HOC vnicè Regem Alexandrum iuuit, quod sui Medici cum solertem, & incorruptam in se fidem agnoscere non recusârit, & inde maximam conceperit fiduciam valetudinis recuperandæ, quam etiam recuperauit felicissimè.

LIBER QVINTVS.

VELLE IMPERATORIS CONTRARIA PVLSA MEDERI.

ADIVMENTIS CONFORMANDAE SVBDITORVM Voluntatis, cum Imperiali.

LIB. V. CAPUT I.

PANACEA I.

MAXIMA IN DEVM, ET IMPERATOREM Fides, & Fiducia.

ARbor Perseidos in Ægypto multis morbis Medicinam afferre dicitur, festucâ eius, vel folio ægris applicato. Vnde eiusdem excisio, excisæque emptio, & venditio punitur pœnâ, V. librarum auri, fortè ideo, quia ipsi Imperatori ob Nobilitatem erat reseruanda. *l. Si quis Daphnensis* 1. *C. De Cupress.* Imperium Romano-Germanicum agonizans dissensionibus ciuilibus scissum, est ille vulneratus, qui incidit in latrōnes, curandus, fouendusq;, velut Samaritano relictus est, *Luc.* 10. Vnicuiq; enim nostrûm dicitur. *Curā de illo habe.* & Dominus p

Ezechielem, *cap.* 3. & 33. comminatur cuilibet curatori dicens. Sanguinem eius de manu tua requiram, Ex vobis pendet anima illorum. *Iudith*. 8. *cap*. Non melius autem curari potest hic ægrotus, quam per constantem & perseuerantem in Deum & Imperatorem Fiduciam: Nam semper verus amor in se ipso crescit, nec ei sufficit, rem amatam si diuina sit, consequi & colere: sed vltro cupit, vt omnes eandem diligant, ament, colant & sequantur; Religionis & fidei Zelus & feruor, tantum inter homines potest, qui de Deo habent, & de immortalitate animæ, deque futura vita & morte æterna cognitionem, vt nihil non agant eius causa & feruore, & contraria omnia non detestentur & abhorreant, & ideò in vindictam offensæ aduersum mandata Dei, & cultum eius, toti feruntur, omnique impetu corporis & animi: Ita filius Eleazari filij Aram Sacerdotis, cum vidisset quod vnus ex filiis
Num. 25. Israel intrauerat coràm fratribus, & Moyse, contra prohibitionem ad
cap. v. 7. scortum Madianitidem, arrepto pugione ingressus est, post Virum Is-
Exod. 32. raelitam in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulie-
1. *Reg*. 18. rem in locis genitalibus. Moyses quoque armauit omnes filios Leui,
v. 4. contra idololatras, qui Vitulum aureum fecerant & adorauerant, &
1. *Reg*. 15. cæcidit ex illis quasi triginta millia. Delere iussit Deus gentes idolo-
v. 33. latras vsque ad internecionem. Elias Zelo zelatus pro Domino exercituũ, prophetas Baal interfecit in torrente Cison: Sic Samuel concidit in frusta Agag regem Amelech, coràm Domino in Galgatis. Mathathias videns Iudæum quendam in omnium oculis sacrificare idolis, super aram in Ciuitate Modin, secundum iussum Regis, doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis & insiliens trucidauit eum super aram: Sed & Virum quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore & aram destruxit, zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri super filio Salomi & exclamauit Mathathias in Ciuitate, dicens, *omnis qui Zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me*, ipsi & filij eius in
Machab. 2. montes, & reliquerunt quæcunque habebant in ciuitate. Iehu zelo
v. 34. Domini ductus, occidit domum omnem Achab, & vniuersos prophe-
4. *Reg*. 11. tas Baal, Aod quoque offerendo munera Eglon regi Moab, qui oppri-
Iudic. 3. mebat populum Israel per insidias necauit. Nihil magis discipulos Domini aduersum Ethnicorum audaciam, impugnationem, pericula

illata

illata, & aduersum metũ præsentis mortis armauit, quam religio, quæ cum gratia sancti Spiritus, quæ nunquam Deum inuocantes reliquit, ita ad contemptum omnium, imo sui etiam ipsius incitauit, vt Deo eius fidei & religioni postponenda censuerint vniuersa. Duoque hic maximum robur habent, vnum de immortalitate animæ, recta firmaque sententia, alterum beatitudinis, post labores iustos, & mandatorum Dei obseruationem, Spes certissima, & ex contrario mortis æternæ aduersus impios præparata habitatio. Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores *Hebr. 11. v.* diuitias æstimans & præponens Thesauro Ægyptiorum, improperium *16.* Christi: aspiciebat enim in remunerationem. Dux Saxoniæ Fride- *Guilielmus* ricus II. cognomento Placidus, Anno Christiano Millesimo, qua- *Fabricius* dringentesimo, sexagesimo quarto obiit. Hic Princeps aliquot ante *historia, de* obitum annis, Friderico è Comitum stirpe, Antistiti Magdeburgico *Electorib.* litem, & ab ea bellum cœpit mouere. Quod vt prudentius gereret, *Saxoniæ.* & cuncta cederent felicius, exploratorem misit, qui de apparatu bellico, & consiliis aduersæ partis cognosceret: Factum: exploratis omnibus renunciatum est, nihil opportunum bello parari, sed nec militem scribi: Antistitem prætereà dixisse, causam se commissurum Deo, qui pro seruo suo arma sumeret. Hoc, vt Elector audiuit: Alius, inquit, insaniat, & bellum inferat ei, qui confidit causa superiorem se futurum Deo defensore. Laudandus Præsul, qui Dei patrocinio fisus: Laudandus Princeps, qui positis armis Deum veritus est aduersarium. Sic Rudolphus II. Imperator solebat in vexillo Prætorio Literas has quinque inscribere. A. D. S. I. T. Id est, *Auxilio Domini superaberis Impie TVRCA.* Quo auxilio Magnus Constantinus legebat in cœli oraculo hanc promissionem. IN HOC SIGNO VINCES. Ità quondam Romanorum Imperator Maximilianus II. sicubi res aduersæ animum eius sollicitarent, conceptum à se symbolum proferebat: *Dominus prouidebit*: Germanicè, Alles Gutt/in Gottes Hutt/ vbi vltimò pingebat pileum. Ità prorsus, ità ad Deum mentis acies conuertenda, qui non patietur in fraudem impelli fidentem in se, CAROLVS V. proinde exclamabat, Veni, Vidi, Christus vicit, Christus meus, non Suecus meus, non Ægyptus mea, *Quod Dij voluere peractum est.* Ouid. *Non difficile Domino saluare, vel in multis, vel in paucis.*

1. Reg. 14. v. 6. 2. Paralip. 14. v. 11.

Et coniuratæ rapiuntur in arma procellæ,
Sol, cœli, grandoque iuuant, pro Numine Martem,
Si ductes.

De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ (Angeli scilicet) manentes in Ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnarunt. Fugit impius nemine persequente, Iustus autem quasi Leo confidens, absque terrore erit, Eius, scilicet, animus Heptaboeus, vt Clypeus Aiacis, nititur Deo, diffisus sibi, parcit lachrymis malè cordati militis mater: *Rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.* Prima enim hæc est vltio, quod se iudice, nemo nocens absoluitur. Inimicus enim Dei, merx patibuli. Audi Politice, Orationem Iudæ, & si non es stipes, stupebis. *Ipsi veniunt ad Nos in multitudine contumaci, & superbia, vt disperdant Nos, & vxores nostras, & filios nostros, & vt spolient Nos; Nos vero pugnabimus pro animabus Nostris, & Legibus Nostris. Et ipse Dominus conteret eos ante faciem Nostram: Vos autē ne timueritis eos: Vt cessauit autem loqui insiluit in eos subitò & cōtritus est hostis.* Est quædam veluti Zelotypia Dei ad propugnandū suos, si cū fiducia, ad se videat in periculis recurri. Auro loquēte, nihil pollet quæuis oratio; Deo pugnante nihil pollet tota Panoplia. Pseudo-Politicus hæc parum videt, minus curat, exputat nunquam, & quid mirum? Noctua in meridie, Sus in Amaracino, Mundus, Spiritum S. non capiens in Sacrario: Talem igitur vt Sirenem, & Scorpionem deuitet Princeps, ne ex sinistra manu capiat cibum, contrà Symbola politica Pythagoræ, stomacho malè eructaturo.

Iudic. 5. v. 20. Apocalyps. 12. v. 3. 4. Reg. cap. 13. v. 14. Horat. Iuuenalis. 1. Macb. 3. Deut. 7. v. 17. Iohan. 14.

SIMILIS CONSTANS ET PERSEVERANS *Fiducia in Imperatorem Nostrum, vera Panacea altera.*

Gubernatorem in Tempestate, in acie militē, in arena pugilem intelligas, Nemo sciet, quid possis, ne tu quidem ipse, ni variis ærumnis exercearis, Opus est ad notitiam sui, experimento. Quid quisque posset, nisi tentando non didicit; Itaque quidam vltro se cessantibus malis obtulerunt, & virtuti in obscurum ituræ, occasionem, per quam enitescerent, quæsierunt. Gaudent inquam, magni viri aliquando rebus aduersis, non aliter quam fortes milites bellis. Auida est periculi virtus, & quo tendat, non quid passura sit cogitat, quoniam & quod passura est, gloriæ pars est, His Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè

forti-

fortiterque faciendi: ad quam rem opus est aliqua difficultate, Vnde possum scire, quantum aduersus bellum & insultus hostiles, tibi animi sit, & in fiducia ergà Deum & Imperatorem profeceris, si diuitiis diffluis, inter plausus senescis, vitam sine aduersario transigis? Sanè ad notitiam sui opus est experimento. Si Imperator iura Maiestatica, Bonathamiaca, merè Regia, à Sceptro vel Corona sua diuelli pateretur, homicida suæ dignitatis diceretur, cuius nullus inferior capax est. Scitè Tullius. *Non facilè*, inquit, *diiudicatur amor verus & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi Aurum igne, sic beneuolentia aliqua fidelis periculo aliquo perspici possit.* Audi Phineam virum spectatæ fortitudinis apud Philonem. *Non de Imperio*, inquit, *nunc certamen instat, nec de inuadendis occupandisque alienis possessionibus, quæ causa belli, vel solos mouet alios, præcipua: sed pro tuenda Pietate, ac Sanctimonia, quam nostris cognatis, amicisque, dum hostes eripiunt, parauerunt eis grauissimam perniciem.* Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur, aut esto Alexander, aut muta nomen, Dux quidam obiectauit ignauo, pulchri tamen nominis militi. Stimulet Nos dictum, Iulij Cæsaris ad Nautam: Ne timeas, quia Cæsarem vehis, quem tempestas quatere quidem, mergere autem non potest. Sed quid facit refractarius Imperij subditus? quod famulus tuus colaphos aut fustes meritus. Tu hominem leui brachio vix tangis, cum ille mox furere, seruitium renunciare, ab ædibus excurrere, & aduersario tuo nescio quantas iniurias queri: Si ego huic tali homini patrocinari velim, an molles apud te aditus reperiam? Sanè hic famulus non vna re grauissimè offendit: Castigari meruit, & quidem seuerius, at ille correctori contumax profugit domo, quod capitalis noxa; quod si amicos quæsisset deprecatores videre potuisset furere cum ratione; at vero profugere ad hostes, & apud illos innumeras in Dominum querelas euomere, hoc demum facinus est nimis capitale.

Bald. in L. Licet causam. De Probat. lib. 9. Epist. 16.

lib. 1. De vitâ Moysis.

Senec. Epist. 107.

Cyprian orat. 3. contr. Iud.

Cum igitur metus lictor legum sit, SVBDITE Imperijcola, si Pacem vis Imperio, Proximo, & Tibi, LVGE, FVGE, ATTENDE, DEPRECARE, LVE.

> *Omnia circumquâque VIDE, velut Argus, & ante.*
> *CORRIGE, præteritum, REGE præsens, CERNE futurum.*

Hoc agnouit, vti & Francorum deceptionem, Captâ *Durâ*, Anno 1534. *Guilielmus Cliuiæ Dux*, quando adductus ad Cæsarem Carolum V. in

Tribunali pro dignitate ſedentem, in Caſtra ad Venlonium translata, à Reinero Naſſouio Aurantiæ Principe, Henrico Brunſuicenſi Duce exule, & Hermanni Archi-Præſulis Colonienſis Legato, quibus vſus deprecatoribus, ad Cæſaris genua, cum aliis octo, magni loci viris, veſtibus nigris indutis, ſe conijcit, hæc præfatus. *Patere*, inquit, *Clementiſsime Cæſar ignorantia adoleſcentiæ meæ, Francorum magnificis, ingentibuſque promiſsis deceptæ, apud Te veniæ locum reperiat.* Dolendas alias ſimiles viderunt Tragicomœdias nondum obliteratas in memoriæ theatro, ſimilia fulmina venerunt ab Aquila, quæ Ales Iouis eſt, quando Mus Leoni, & Scarabæus Aquilæ bella mouit.

Exempla plurima in hunc ſenſum à me compilata trado, in Legitima Regia Romana Corona. Aſteriſco. 12. n. 9.

Nunc ergo Vos, Imperator, Reges, Principes, Regiâ Dauidis voce compello, moneoque.

INTELLIGITE REGES,

Erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei in tremore, Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis. Reſpicite miſereſcentem Europam, ardentem Germaniam, æſtuantem Italiam, afflictam vbique Eccleſiam, veſtra, veſtra hîc res agitur, permagna, ſumma, prima. Coite ſolum, Viri Principes, & trepidabunt vires veſtras exteri, quibus ob inteſtinas liticulas vileſcere cœpiſtis, Tollite Thuſca illa iurgia, & videbitis, neque terrarum Orbem, neque cunctas gentes conglobatas mouere, aut contundere hoc Imperium poſſe, Inter Imperatorem & ſtatus fida animorum coniunctio ſtabiliatur.

Pſalm. 2. v. 11. & 12.

----- Seruate Fœdera Pacis.
Nec Regnis poſtferte fidem.

Dum enim omnes inuicem pugnamus, ſinguli vincimur, & alius alium expectat, fruſtra expectamus omnes.

Cædimus, inque vicem plagis conſumimur omnes.

Monopolium conſiliorum, inter Pſeudo-Politicos, quod Deum, Imperatorem, & veram, non rapacem, Pacem excludit, Iſaiam eludit, Ieremiam non recipit, Oſeam auerſatur, S. Scripturam repudiat, id vos, ne euertat.

CAVETE, & AVETE.

In quem quoque ſenſum & affectum, Pietas concludens, & ſanctè ludens, canit ſic.

Principium PACIS, mihi Finis, & omnia, CHRISTVS.

COPIA

COPIA LITERARVM SERENISSIMI REGIS DANIÆ, Ad Dn. LEGATVM GALLICVM.

CHRISTIANUS,&c.

GENEROSE ac Nobilis ſincerè gratèque nobis dilecte; Ex literis à Legato Cæſareo & Conſiliario noſtro Langermanno pridie nobis redditis, intelleximus, non abſque animi commotione, Saluos conductus aliaque inſtrumenta, à parte Imperatoris Romani & Hiſpaniarum Regis iam de nouo producta & quidem in ea forma quæ omnes circa iſta ante hac motos ſcrupulos ſuſtuliſſe videbantur, nondum vobis ſatisfacere. Summa ſanè afficimur ægritudine, cum videmus florentiſſimas tota Europa ditiones rapinis & incendiis non tantum in vaſtam ſolitudinem redigi & torrentes Chriſtiani ſanguinis quotidie & auide effundi, cum interim negotium de reducenda pace tot ſuſpiriis ac gemitibus deſiderata, tam lente agatur, & in ipſis præliminaribus nouis ſubindè motis difficultatibus ſufflaminetur. Inducit nos hic animi labor & calamitatum publicarum deploratio, vt liberius vos adhortemur, ne tam rationes quibus producta diplomata vellicari & labefactari, quam quibus ea ſuſtineri & pro ſufficientibus haberi poſſint, apud Vos valere ſinatis. Relatum enim ad nos fuit, cum inſtrumenta iſta primo vobis exhiberentur, vos ea non improbaſſe. Videmus etiam in declaratione veſtra,

quam

quā prædictus Consiliarius noster ad nos misit, nihil contra ea in specie, cur à vobis recipi nequeant, moueri, sed hoc saltem in genere dici, Saluos Conductus Hispanicos non esse plenarie in eo statu, qui desiderari possit. Item ratificationem Hispanicam nondum hic haberi in bona forma. At qui nos ita statuimus, in tanti momenti negotio, & in quo tantum periculum in mora versatur, vt vel vnicus dies neglectus, multorum millium hominum cæde ac cruore luendus sit, non omnia ad viuum resecanda, nec eo respiciendum an producta instrumenta plenarie sint in eo statu quo melior desiderari vel affingi nequeat, sed sufficere debere si sint in probabili forma. Præsertim quando eorum emendatio ex remotis oris, vnde non nisi aliquot septimanarum forsan & mensium spatio haberi posit, petenda sit, Summopere itaque à vobis contendimus, vt diem à nobis ad mutuam extraditionem & receptionem sæpe dictorum Instrumentorū constitutam, ratum habere velitis, vt tandē tractatus principales initium capere, & ad desideratum finem diuina auxiliante gratiâ deduci queant. Procurabitis ita istud, quod communibus votis & studiis expetitur, nobisque inprimis gratissimum erit, qui beneuolentiâ ac gratiâ Regiâ id compensare nitemur. Dabantur Haffniæ die 18. Febr. 1643.

FINIS.

